NICOLAI DAMASCENI

DE PLANTIS

LIBRI DUO


ARISTOTELI VULGO ADSCRIPTI.

EX

ISAACI BEN HONAIN

VERSIONE ARABICA LATINE VERTIT

ALFREDUS.



AD CODD. MSS. FIDEM ADDITO APPARATU CRITICO

RECENSUIT

E. H. F. MEYER,

PHIL. MED. D. P. P. O.

LIPSIAE,

SUMTIBUS LEOPOLDI VOSS.

MDCCCXLI.





PRAEFATIO EDITORIS.

Libros duos *Aristoteli* quondam adscriptos *de plantis*, quorum novam editionem Latinam tibi offero, auctoris cujusdam longe recentioris esse, post acerrimum nec semper aequum eorum castigatorem, Julium Caesarem Scaligerum, nemo quidem nescit: cujusnam vero essent, Graecine an Arabis, quibusve fatis ad nos pervenissent, quin etiam trium opusculi versionum, quae circumferuntur, cum Graecae tum utriusque Latinae, quaenam aetate antecederet, et id genus alia hucusque aut penitus ignorabantur, aut saltem non ea, qua potuissent, ne debuissent dicam, accuratione perquisita erant; idque non propter desperatam rei difficultatem, quam neque ullus expertus est, neque revera existere mox demonstraturus sum, sed quasi metuissent, ne inter volvendum opusculum, qua Scaliger id notasset macula, ipsi afficerentur. Ferebant interim, utut erat, iterum iterumque cum genuinis Aristotelis operibus recudi sinebant, eoque uti, aliorum testimoniis destituti, non recusabant; id tantummodo, ut videtur, caventes, ne prorsus recte uterentur. Quis enim testem recte adhibere existimetur ignotum, quem cognoscere facili negotio liceat? Aut quis credere in rebus historicis ratius ducat, quam comperire? Quae tamen nemini opprobrio sint, velim, neque philologis, quos dictionis jejunae, distortae, infimam Graecitatem redolentis, merito taedebat; neque philosophis, jam per saecula, ni fallor, ab hoc disputationis nimis

arbitrariae genere remotis; neque denique botanicis, quorum plurimi, ipsarum plantarum formas moresque investigandi negotio toti occupati detinebantur, et si quis aliquando otiosior antiquitatibus artis sciscitandis operam dabat, is, praeter Dioscoridem, Plinium, alios, potissimum Theophrastum habebat, quem una cum Aristotele anonymus noster spoliasse, centonesque suos, ut cum Menagio apud Fabricium loquar, ex variis utriusque locis male assuisse constabat. Postremo tantae sterilitatis provincia ista vulgo arguebatur, quantam sapientissimus quisqne non appeteret, immo maximopere evitaret.

Ego vero, postquam aliquot abhinc annis in Alberti Magni de plantis opus vere aureum, et nihilo secius ab ingrata posteritate abjectum, incidissem, cui prout mereretur, restituendo, adornando, omnium denique in conspectum collocando, enixe inde usque incubui: mox intellexi, id, omisso accuratiori illius opusculi studio, cui hoc opus superstructum esset, nullo pacto ad finem perduci posse. Neque meram lectionem sufficere, quum tanta versionum et Graecae et utriusque Latinae discrepantia offenderet; sed arte critica opus esse. Qua rite adhibita, accidere posse, nt vice versa ab Alberto Pseudo-Aristoteli aliquid lucis affulgeret, qua doctorum virorum consideratione dignior evaderet, quam Scaligero, Graecas literas unice curanti, visus esset. Adde librorum botanicorum a veteribus relictorum paucitatem, qua cum omnium rerum, tum maxime documentorum historicorum pretia augentur. Adde variam variorum temporum populorumque indolem, neque quae vel Athenis vel ipso Aristotele indigna, ea ab unoquoque aliarum gentium auctore profecta omni laude necessario inferiora esse. Sin minus, tamen id ipsum aliquid esse, ut extrema bonarum artium labes inde manifestetur.

Ergo et hunc laborem ultro suscepi. Quo quid profecerim, penes lectorem judicium esto, tametsi ejus prolationem petere liceat, donec Alberti quoque editio absoluta fuerit. Meum vero duco, priusquam ipsum librum qualemcunque tibi exhibeam, succinctam ejus historiam narrare. Quam, quum ex tenebris velut in lucem denique excurrat, nec jam satis,

unde inchoanda sit, constet, contrario passu a novissimis inde temporibus retro persequi juvabit.

Exstat autem opusculum de plantis in plerisque omnibus operum Aristotelis editionibus, recentissima Bekkeriana haud excepta, cum Graece scriptum, tum etiam Latine: illud perinde atque ipsius Aristotelis esset; hoc incerto, ut ajunt, interprete, quasi ex Graeco Latinum factum esset. Graecum praefatione instructum est, qua Latinum caret, quaque docemur, *quendam natu Celtam* hunc librum *ex arvis Arabicis in Italicos hortos transplantasse*[1]; valdeque corruptum esse *continuis vertentium mutationibus ex Graeca* (*nostra*) *lingua in eam Italorum, in Arabicum porro, iterumque ex Arabico in Italicum, et in Graecum* (*nostrum*) *denique ex illo*[2]. Quorum quae forsitan minus vera, infra ostendamus; id autem pro certo habere licebit, quae Graece hodie leguntur, ea ex Latino non ita pridem versa esse, vixque ante saeculum decimum quartum; num vero ***Maximo Planude***, ut plerisque visum est, an alio quodam interprete, ut alii maluerunt, incertus haereo, nec ullum hac de re testimonium novi praeter sequentia ***Hermolai Barbari***[3] verba: ***Haec commentatio*** (Aristotelis de plantis) ***Graecis perierat; habebatur in Arabico; demum conversa est in Graecum sermonem a quodam, ut ferunt, Maximo.***

Missis igitur his, de Latinis versionibus videamus. Quarum duae sunt diversissimae, altera in plurimis operum Aristotelis editionibus occurrens, altera, quam ex codicibus mss. recens repetitam jam nunc tibi offero, quam tamen longe an-

1 *Ἀλλά τις Κελτὸς τὸ γένος ἐκ τῶν Ἀραβικῶν λειμώνων εἰς τὰς Ἰταλικὰς μετακηπεύων φυταλιάς.* Arist. opp. ed. Bekker pag. 814 b.

2 *Διὰ τὰς συχνὰς τῶν μεθερμηνεύσεων μεταβολὰς ἐκ τῆς ἡμετέρας εἰς τὴν τῶν Ἰταλῶν, εἰς τοὺς Ἄραβας ἐκεῖθεν, καὶ πάλιν ἐκ Ἀράβων εἰς Ἰταλούς, καὶ εἰς ἡμᾶς ἐκ τούτων ἐπ' ἔσχατον.* Arist. l. c.

3 In Dioscoridem corollariorum lib. I cap. 28 de ***Helenio Aegyptiaco*** (quod a Pseudo-Aristotelis ***beleno*** non differre autumat). Verba ipsa, loco tamen non satis definito, laudantur jam a Conr. Gesnero bibliothecae universalis fol. 82 b.

tea typis excusam esse, auctor est *Fabricius*[1], sic locutus: *In antiquis editionibus exstat vetus translatio anonymi ex Arabico facta, et Rogero cuidam dicata, nec in duos libros distincta, sub titulo libri de vegetabilibus. Eandem versionem, sed paucis mutatis, video comparere in Graeco-Latinis editionibus operum Aristotelis.* Quaenam sint istae editiones antiquae, hic quidem silentio praeteriit, sed ex nota huic loco subjecta eisque, quae de libri περὶ χρωμάτων versionibus retulit, facile colliges, esse prae reliquis Latinam illam *Gregorii de Gregoriis*, Venetiis 1496 forma maxima impressam, quam pro more accuratissime descripsit cl. S. F. W. Hoffmann[2]. Certe rarissima est, et frustra hucusque a me quaesita; quod tamen, quum Hoffmanno teste, pulcra quidem, sed valde incorrecta sit, minus doleo.

Copiosius de eadem versione ejusque auctore *Jordanus*[3] egit, editionis illius, quod miror, ignarus, sed numerosis codicibus mss. bibliothecae regiae Parisiensis fultus. Pag. 391 opusculi exordium, praemissa interpretis praefatione ad Rogerium, edi curavit, quibus, quod et ipse pag. 300 et 336 diserte affirmat, eandem esse versionem, qua et *Albertus Magnus* et *Vincentius Belluacensis* usi essent, apparet. Tum pag. 182 ex Arabico factam esse, et ipsius interpretis testimonio, et vocibus quibusdam Arabicis probat, quas ille non intellectas Latinis literis descripsit, nos vero non repetamus, quum ejusdem rei exempla longe plura in commentariis nostris explicata occurrant, totiusque opusculi dictio manifesto Arabica sit. Deinde pag. 111 *Alfredo*, eique, ut patet, *Anglico* versionem tribuit, duorum codicum mss. fide, quorum alterum *Alfredum de Sarchel*, alterum tantummodo *Alfredum* nomi-

1 Biblioth. Graec. lib. III cap. 6 nr. 19.

2 Bibliograph. Lexicon d. Literat. d. Griechen. Edit. II. Tom. I pag. 298.

3 *Jourdain* recherches sur l'âge et l'origine des traductions latines d'Aristote. — Deutsch mit Zusätzen und Berichtigungen, von *A. Stahr.* Halle, 1831 — Qua editione uti soleo.

nare refert, auctoreque insuper Petro de Alvernia usus, cujus in eundem librum commentariis ineditis idem affirmari asserit. Dedicatam esse *Rogero Herefordensi*, circa finem saeculi duodecimi claro; quo pariter et Alfredi aetatem definiri, et Pitsei errorem corrigi, qui scilicet illum circa **1270** floruisse statueret. Plures quidem codices Rogeri nominis literam tantum initialem **R.** exhibere, unum tamen nomen integrum; quam lectionem Petri de Alvernia commentariis probari. Ex iis denique, quae *Rogerus Baconus* de Belini arboris synonymis prodidisset (quaeque apud ipsum Jordanum pag. 348 leguntur), apparere, Alfredum in *Hispania* scripsisse. Postremo pag. 362 docet, Thomam Aquinatem in libro de sensu et sensato *secundum sui temporis opinionem*, non Aristoteli, sed *Theophrasto* hunc librum de plantis adscripsisse.

Haec fere sunt in ditissimo Jordani libro ad rem nostram facientia; quae quin firmis argumentis innixa sint, quicunque miram juvenis praemature defuncti eruditionem noverit, vix quidem dubitabit. Aegre nihilosecius argumenta ipsa pro parte praetermissa desideramus, neque abs re erit lustrare singula.

De nomine *Alfredo* non est, cur non fidem faciamus Jordani codicibus, quibuscum meorum unus, isque aetate princeps, Basiliensis convenit, in quo toti libro rubrica praescripta legitur: *Liber Aristotelis de vegetabilibus, translatus de Arabico in Latinum a Magistro Alvredo.* Cognomen ejus *de Sarchel* nec apud historiae rerum literariarum scriptores mihi occurrisse, nec ad quem terrarum locum spectet me cognovisse fateor. De Alfredi autem Anglici loco natali apud scriptores est altum silentium. Neque de *Rogeri* nomine dubito, praesertim, quum Fabricio auctore, ut supra vidimus, jam in antiquissima editione legatur; tametsi meorum codicum Basiliensis nonnisi literam **R.**, Guelpherbitanus uterque literam **H.** praebent. Unde vero Jordanus comperit, Rogerum eum esse, quem vulgo *Herefordensem*, Alfredum eum, quem vulgo *Anglicum* vocant? Hunc enim in animo habuisse, etsi non dixerit, librorum ei tributorum catalogus ostendit. An testes habuit?

At non produxit. An duplici conjectura assecutus est? Tunc iis, qui Rogerum Herefordensem circa **1170**, Alfredum Anglicum circa **1270** floruisse memoriae prodiderunt, contradicere, me quidem arbitrante, non satis erat; redarguendi fuissent. Est autem, praeter Pitseum [1], quem non coram habeo, inprimis senior illo *Balaeus* [2], apud quem et quae ex Pitseo Jordanus attulit, et quaedam alia memoratu dignissima, hunc in modum leguntur:

Alphredus Anglicus cognomento Philosophus, homo apprime doctus, Othobono cardinali diacono olim a sacellis, tandem comes adjutus fuit, dum in Angliam Urbani quarti Romani pontificis legatus veniret, ut controversias inter Henricum regem atque ejus optimates tolleret. Locum igitur inter literarum proceres honorificum tenere nunc debet hac potissimum ratione, quod utriusque linguae cognitio ac philosophiae studium quoddam ardentissimum illum eo evexerit. Rogerus Baconus istum inter linguarum politarum interpretes numerat in libro suo de utilitate linguarum. Bostonus Buriensis in magno suo catalogo* [3]*, et in his nostris diebus Joannes Lelandus* [4] *haec, quae sequuntur, opuscula scripsisse illum aliquando affirmant, videlicet:

***De motu cordis lib.* 1.**

***De musica lib.* 1. (*Licet mihi inter meditandum* [5].**

---

1 Relationum historicarum de rebus Anglicis tom. I, qui agit praecipue de illustribus Angliae scriptoribus. Paris, 1619. 4°.

2 Scriptorum illustrium Majoris Britanniae catalogus. II voll. Basil. 1557 et 1559. fol. — Leguntur sequentia vol. I pag. 322.

3 Catalogum puta scriptorum ecclesiae, Fabricii tempore (cf. bibl. lat. med. et inf. aet. tom. I pag. 723) nondum editum. An in *Tanneri* bibliothecam Brit.-Hibern., ex edit. Wilkinsii (Lond. 1748, fol.) transierit, ut ex Fabricii l. c. autumem, alii videant.

4 Commentarii de scriptoribus Britannicis. Ex autogr. nunc prim. edid. *A. Hall.* Oxon. 1709. 2 voll. 8°. — Et hoc opere aegre careo. Quum autem a Jordano non laudetur, persuasum habeo, de Alfredo Anglico nil tradidisse, quod Pitseus, ergo etiam Balaeus, non recepissent.

5 Sunt verba libri initialia, quibus adscriptis, Balaeus libros, quos coram habuit, ab iis, quos oculis non usurpavit, distinguere solet.

In Boethium de consolatione libb. 5.
In Aristotelem de vegetabilibus lib. 1.
In meteora ejusdem libb. 4.
De educatione accipitrum lib. 1.
De rerum naturis lib. 1.

Atque alia nonnulla. Sed et illum ferunt auctores aliquot doctis commentariis illustrasse, praesertim philosophos. Claruit anno salutis Christianorum 1270, *Henrico tertio regnante, dum magnus esset procerum in Anglia tumultus.*

Haec ille. Locum integrum dedi, quo melius appareat, non esse quaestionem de anni numero vel sic vel aliter scribendo, quod ut opineris, quum Alfredum circa 1270, Rogerum circa 1170 floruisse statuant, facile inducaris; sed majoris momenti causas esse, quibus Alfredi Anglici aetas pendeat, ita ut ne demto quidem anni numero res quicquam expediretur. Quibus efficitur, ut Alfredus noster interpres aut non Rogeri Herefordensis aequalis, aut non is esse possit, de quo et Pitseus et Balaeus egerunt; nisi supponas, — quod ultimum ex ejusmodi difficultatibus refugium praestare solet, nec tamen nisi summa urgente necessitate summaque adhibita cautione appeti debet, — *duos diversorum temporum Alfredos* ab auctoribus laudatis esse confusos; quo demonstrato, nil impediret, quin Jordani sententiam amplecteremur.

Jam vero Alfredus noster de plantis librum post annum 1250 propterea scripsisse nequit, quia a Vincentio Belluacensi in speculo naturali, quod, auctore ipso diserte fatente[1], hoc anno demum absolutum est, laudatur. Et quum tantae molis

1 Lib. XXXIII cap. 103, *de temporibus praesentibus et futuris. Ecce tempora aetatis sextae usque ad hunc annum praesentem summatim perstringendo, auxiliante deo, descripsimus, qui est annus ab incarnatione domini* 1250, *a creatione vero mundi . . . Hic est annus pontificatus Innocentii quarti octavus, vacationis imperii Romani, scilicet a depositione Friderici, quintus, regni vero christianissimi nostri regis Francorum, videlicet Ludovici, XIIII* [lege XXIIII, ut recte legitur in fine capitis antecedentis, quod jam *Labbeum* observasse monet *Quetif* scriptor. ord. praedicator. vol. I pag. 234 b.].

opus non anni spatio perficiatur, necesse est, librum *de plantis* adhuc priorem facere. Unde, quicquid de ceteris statuas, sequitur, in eo Balaeum Pitseumque errasse, quod et hunc librum Alfredo Anglico tribuerint. Noli opponere, ei non libri de plantis *versionem*, sed in eundem *commentarios* tribui. Adnotatiunculas enim ipse interpres versioni addidisse videtur, quarum Jordanus[1] *commentariorum Alfredi perbrevium* nomine meminit. Uberiores autem in eundem librum commentarii, quos quis pro peculiari opere habere potuisset, ante Albertum Magnum non reperiuntur; nec certe, si fuissent, ab hoc essent neglecti.

Accedit plurimorum librorum Alfredo Anglico adscriptorum in ipsa Anglia infrequentia. Balaeo, ut vidimus, unicum, *de musica*, ut reperiret contigit; Lelando alterum, *de motu cordis.* Sic enim scribit[2]: *de Alvredo Anglico, qui scripsit libellum de motu cordis, quem vidi Londini in bibl. Domin. et Grantae in bibl. Petrina.* Praeterea in ditissimis librorum manuscriptorum Angliae et Hiberniae Catalogis, ex quibus haec verba depromsi, ne nomen quidem Alfredi Anglici occurrit.

Quibus omnibus consideratis, donec meliora edoctus ero, non possum non existimare, *duos* fuisse Alfredos, ab omnibus rei literariae auctoribus inde a Balaeo et, ni fallor, etiam a Lelando confusos: *alterum* circa 1270 cardinalis Othoboni comitem, de musica et de motu cordis, ut videtur, auctorem[3]; *alterum*, a Rogero Bacono laudatum, in Hispania aliquando versatum, librorumque Arabicorum, quos inter de plantis liber, interpretem, quem ante 1250 sive ante Vincentium Belluacensem scripsisse scimus, et quem Jordanus fortasse non

---

1 l. c. pag. 112.

2 Capituli 133 titulus est in ejus Collectaneis de scriptoribus illustribus, ut video in Catalogis libror. mss. Angliae et Hiberniae, qui Oxoniae 1697, fol. prodierunt, parte I pag. 243, ubi Jo. Lelandi Collectaneorum vol. IV describitur. Ipsius Lelandi opere postea edito me carere, jam antea questus sum.

3 Quin et hic liber in controversiam vocari posset, quum Jordano auctore l. c. pag. 113, Arabicae originis esse videatur, eodemque titulo inscriptus liber inter Thomae Aquinatis opera occurrat.

sine jure Rogeri Herefordensis, circa 1170 clari, aequalem fecit.

Aliam libri de plantis versionem Latinam, de qua legisse memini, brevius absolvamus. Inter libros bibliothecae Scorialensis manuscriptos esse fertur ***Aristotelis liber de animalibus et vegetabilibus, per Michaëlem Scottum traductus; codex antiquus in membranis*** [1]. Praeterea de eadem nusquam quicquam. Vehementer igitur suspicor, Alfredi Aristotelem de plantis cum Michaëlis Scoti Aristotele de animalibus eodem volumine comprehensum catalogi scriptorem in errorem induxisse.

Superest, ut Alfredi nostri versionem cum vulgaribus et Graeca et Latina recentiore, de quibus supra dixi, conferamus. ***Graeca***, Jordano optime observante [2], a Latina antiqua eo tantum recedit, quod interpres, Arabice linguae imperitus, quaecunque sine hujus ope intelligi non poterant, aut plane omisit, aut ad libitum mutavit. Sed hoc etiam scire interest, usum esse Maximum antiquae versionis exemplari valde corrupto, quod ex meorum codicum mss. collatione colligo. Saepius enim Graeca versio cum Guelpherbitano codice secundo convenit, cujus lectiones plerumque sunt pessimae; ita ut, quae in hoc forte omissa sint, desiderentur etiam in illa; multo magis recedit a codicis Basiliensis lectione jam longe praestantiore; maxime denique ab ea codicis Guelpherbitani primi, quae et optima est et cum ea Alberti (quae tamen ex ejus editionibus cognosci nequit) ut plurimum congruit. Cujus rei exempla hic idcirco non affero, quia vix ulla editionis nostrae pagina ea non praebet. Nil igitur impedit, quominus Graecam Maximi versionem ab Alfredi Latina fluxisse statuas. ***Latina*** vero recentior ante Graecam editam, ad quam exornandam comparata videtur, nusquam comparuit. Graecam, quantum fieri potuit, adhibitis antiquae Latinae verbis, presse sequitur, ita

---

1 Leguntur haec in ***Plüeri*** catalogo, excuso in ***Büsching's*** Magazin tom. V pag. 113. Auctor catalogi est pater ***Antonio de St. Joseph.*** Cf. Plüer l. c. tom. IV pag. 390.

2 l. c. pag. 184.

ut ab utraque pendere merito censeatur. Quae autem offendunt alicujus ponderis differentiae, v. g. *nitrum* pro *vitro*, verbaque nonnulla sive addita sive detracta, has a priorum typographorum negligentia profectas, deinceps religiose servatas esse existimo. Quae quum ita sint, nisi vel Arabicum Latinae versionis exemplar, vel textus Graecus genuinus aliquando innotuerit, quod ut unquam futurum sit vereor, consentaneum erit, Graeca versione tandem derelicta, solo Alfredo interprete uti.

Quid autem, ut et hoc tangamus, de *Thoma Aquinate* dicam, *Theophrastum* horum de plantis librorum auctorem facientis? Quam opinionem Jordanus, ut supra retuli, illius aetati familiarem fuisse asserit; minus considerate, ut puto. Laudant enim *Aristotelem* de plantis paulo ante Thomam anonymus auctor operis nondum editi *de naturis rerum*, cardinalis Jacobi de Vitriaco[1] aequalis, Vincentius Belluacensis, Albertus Magnus, paulo post Bartholomaeus Anglicus seu de Glanvilla, Petrus de Crescentiis, alii; nec apud ullum hujus aevi auctorem *Theophrastum* de plantis reperisse memini. Opinio ipsa refutatione non indiget; sed scire intersit, nnde Thomas eam acceperit. Ab Arabibus nullo modo, quippe ad quos Theophrasti vix nomen penetraverat. Ab aliquo Graeco nimirum arbitror. Quodsi enim Thomas ipsius Theophrasti opus legisset, et utriusque operis sensisset similitudinem, hoc, praesertim post acerbum magistri sui Alberti Magni judicium, non Theophrasto adscripsisset, sed pro spurio habuisset.

Verum ne a proposito nimis abducamur, ad *Arabes* transeamus, qui magno consensu de *Aristotelis* libro plantarum, duos comprehendente tractatus, dixerunt; ita tamen, quod nemo hucusque animadvertit, ut nullus comperias, utrum ipsum librum Arabice versum possidere sibi arrogent, nec ne; res prima fronte, quum tamen Alfredum ex Arabico vertisse constet, sane mira; qua de causa eam testibus confirmare necesse est.

---

1 Fabricio auctore, in bibl. lat. med. et inf. aet. vol. IV pag. 57, cardinalis creatus est 1227, obiit 1224.

Arabicae philosophorum historiae auctor[1] plura Aristotelis opera, additis interpretibus eorum Arabicis, recenset, plantarum libro praetermisso. Deinde, ut suo indici fidem faciat, alium adjicit Ptolemaei, nescio cujus, sed apparenter Graeci hominis; quo demum et de plantis libri duo occurrunt. Alii, quorum et Averroës[2] et Alfarabius[3], methodicas librorum Aristotelicorum dispositiones reliquerunt, quibus etiam plantarum libro suum assignarunt locum; unde audivisse de ejusmodi libro, non, eum oculis usurpasse, sequitur. Quin Averroës l. c. expressis verbis fassus est: *quidam autem ex his libris, quos narravimus, inveniuntur ab Aristotele, quidam autem non*; nec ullam alibi hujus libri mentionem fecit. Historiae naturalis scriptores Arabici sunt paucissimi, nec ullus totus hucusque editus. Quae tamen habentur eorum fragmenta, Ibn Alvardii[4], Kazvinii[5], Abu'l Fadlii[6], frustra perlustravi. Unicus eorum Kazvinius a cl. Chezy[7] dicitur saepissime laudasse Aristotelem, non vero de plantis, sed de lapidibus; unde Aristotelem de plantis illi ignotum fuisse conjicio. Idem valet de materiae medicae atque diaeteticae scriptoribus, Rhaze, Isaaco ben-Soleiman, Avicenna, Serapione, Mesue, et quorum tantum fragmenta habemus edita, Ibn-Baithare atque Abu-Mansure, hoc quidem Persa, sed et Graecarum et Arabicarum literarum non imperito; apud quos, nisi perlectos, assidue tamen volutatos, Aristotelem de lapidibus saepissime, de *plantis* nunquam invenisse memini.

---

1 Apud *Casirium*, in biblioth. Arab. Hispano-Escurial. vol. I. pag. 304.

2 Ad Arist. meteoror. lib. I cap. 1; operum edit. Venet. ap. Juntas, 1550, fol.; vol. V fol. 182 a vers. 42.

3 In *Schmoelders* document. philos. Arab. Bonn. 1836 pag. 6 (et versionis Latinae 20).

4 Ex ejus margarita mirab. cap. 10; edid. *Aurivillius*. Recusum in *Aurivillii* dissertt. Goetting. 1790.

5 In *Silv. de Sacy* chrest. arab.

6 Passim in *Olai Celsii* hierobotanico.

7 Apud *Silv. de Sacy* l. c. vol. III pag. 447. Cf. etiam pag. 533.

Ab altera parte et ***Hadschi-Chalfa*** et ***Abd-Allatif*** stare videntur, uterque summae, ut fateor, auctoritatis, sed alter hac in re de errore suspectus, alter, quum paulo accuratius attenderis, gravissimus potius pro nobis testis.

Hadschi-Chalfa enim, sub voce *liber plantarum*, celebriores de plantis auctores enumerat, ab Aristotele ita incipiens [1]: ***Liber plantarum: Ab Aristotele tractatus sunt duo; in quem Nicolaus commentatus est, quemque Isaac ben-Honain*** (alias ben-Hossain) ***vertit, cum correctione Thabeti ben-Qorra.*** Posthac Arabum, quos transeo, libros narrat. Verba, potissimum Arabica, clara sunt: non ***Nicolai***, sed ***Aristotelis*** librum Arabice versum esse pronunciant; attamen vereor, ne auctor librum Nicolai pro ipsius Aristotelis libro habuerit. Namque illum revera Arabice versum esse, statim demonstraturus sum; de hoc autem Arabice verso, praeter allata, nihil prorsus innotuit. Et quis nescit, quam saepe aliis Aristotelis commentatoribus id acciderit, ut pro ipso Aristotele venditati sint?

Sed ***Abd-Allatifum*** audiamus, qui, de arbore lebach (Graecorum persea, Alfredi nostri beleno) locutus, sic pergit [2]: ***Aristoteles aliique dixerunt, lebach in Per-***

---

1 Verba Gallice versa in doctissimis ***Silvestris de Sacy*** commentariis ad ***Abd-Allatifum*** exstant; Arabica, quae jam sequentur, clarissimus Hadschi-Chalfae editor, ***Gustavus Fluegel***, ex parte operis nondum edita excerpta humanissime mecum communicare non recusavit. كتاب النبات لارسطو مقالتان فسّره نيقولاوس وترجمه اسحق بن حسين (alias حنين) باصلاح ثابت بن قرة ☼

2 Arabice leguntur in ***Whitei*** editione minore Tubingensi, cui praefatus est ***Paulus***, pag. 9: فقد قال ارسطو وغيره ان اللبخ كان بفارس سما قاتلا فنقل الي مصر فصار غذا وقال نيقولاوس واما اللبخ فقد كان في ارض فارس قاتلا فنقل الي الشام

sia esse venenum letale, sed transplantatum in Aegyptum factum esse alimentum. Nicolaus quoque dixit, lebach in regione Persiae letale esse, sed transplantatum in Syriam et in Aegyptum factum esse esui aptum. En testem maxime idoneum, qui non solum ipsius Aristotelis de plantis placitum quoddam verbis Arabicis exhibet, sed etiam Nicolai de eadem re dictum ita adjicit, ut utriusque librum ante oculos, nec certe alterum pro altero habuisse videatur. Nempe videtur, at ne decipiaris, cave. Nicolai librum coram habuisse, perspicuum est; an etiam Aristotelis? Immo contrarium, si quid video, liquet. Sin secus, quem ad finem cum Aristotele simul *alios* laudaret? cur prope eadem a Nicolao repeteret? Ut Aristotelis auctoritatem, quae jam maxima erat, augeret? Nullo modo. Non enim Abd-Allatif is est, qui aliorum dicta, undique forte correpta, cumulet. Sed ea procul dubio ratione, ut iis minorum gentium scriptoribus, apud quos, quid Aristoteli placuisset, legerat, aliquantisper succurreret. Cui muneri fungendo quis aptior fuisset Nicolao, illius, ut putabatur, commentatore? Sed quo aptior, absente Aristotele, eo ineptior, illo praesente. Tantum itaque abest, ut Abd-Allatif cum Hadschi-Chalfa faciat, ut prae ceteris contrarium confirmet.

Verum enim vero ultimo libri de plantis Aristotelici vestigio ex Arabum scriptis extincto, ille liber, cujus origines quaerimus, quem Alfredus pro Aristotelico habitum vertit, subito adest. Alio inscriptus titulo in scriniis Arabum latuit; *Nicolai* est, nec Aristotelis.

Legimus enim apud Alfredum[1]: *Belenum quoque, perniciosum natum in Persia, transmutatur, et transplantatum in Aegyptum et Syriam factum est comestibile.* Audisne Nicolaum, cujus jam dedimus verba ex Abd-Allatifo? Nolo dissimulare, loco verborum *et in Syriam*, ad quae infra revertemur, apud Albertum Magnum

---

والسب مصر فصار جيدا ماكولا ۞ . In Gallica *Silvestris de Sacy* versione eadem leguntur pag. 17.

1 Lib. I cap. 17 nostrae, cap. 7 reliquarum editionum.

legi *et Jerusalem*, ita ut syllaba prima *je* ex praepositione *in* facta videatur; apud interpretem et Graecum et Latinum recentiorem, quos saepe ad libitum aliquid mutasse jam supra dixi, *in Aegyptum et Palaestinam* legi; in quocunque codicum meorum manuscriptorum aliud quoddam scribendi compendium, literis quidem satis distinctis, sed unumquodque intellectu difficillimum, quod, si placet, suo loco videbis, nusquam denique, praeter nostram editionem, inveniri *in Syriam.* At si ulla, certe haec nostra conjectura verisimilis est.

Alium Nicolai locum Abd-Allatif his verbis Arabice reddidit[1]: *Dixit Nicolaus libro plantarum: sunt plantae, quibus odor aromaticus in quibusdam suarum partium est; et sunt, quibus odor aromaticus in omnibus suis partibus, velut balsamo, qui est in Syria, in vicinia maris Asphaltici. Puteus, qui has plantas rigat, vocatur puteus balsami. Ejus aqua est dulcis.* Quae apud Alfredum[2] sic audiunt: *Arborum aromaticarum quarundam radix aromatica est, quarundam cortex, quarundam flos, quarundam lignum, aliarum vero omnes partes, ut balsami.* Concedo, hic minus perfectam esse utriusque loci convenientiam, quam in illo locorum pari; minime tamen adeo levem reperio, ne illico percipiatur. Neque difficile est utriusque detractionis probabilem causam reddere. Quum enim de patria balsami, nascereturne etiam extra Aegyptum, controversia esset, cujus rimandae gratia Abd-Allatif Nicolaum laudabat, optimo, ni

1 Editionis laudatae pag. 15: وقال نيقولاوس في كتاب النبات ومن النبات ما له رايحة طيبة في بعض اجزايه ومنه ما رايحة الطيبة في جميع اجزايه كالبلسان الذي يكون في الشام بقرب بحر الزفت والبير التي يسقي منها تسمي بير البلسم وماوها عذب ☼

2 Lib. I cap. 15 edit. nostrae, reliquarum cap. 6.

fallor, consilio, quae praeter rem esse viderentur, resecuit. Quae contra ab Abd-Allatifo servata desiderantur apud Alfredum, ea aut exemplaris, quo hic utebatur, intercapedini tribuerem, aut propter maximam ab argumento aberrationem pro glossa, quae in textum irrepsisset, haberem. Multam perdidi operam in investigandis pluribus Nicolai dictis, quae cum Alfredi verbis compararem. Nec mirum, quum Kazvinii, Ibn al-Vardii, Ibn Baitharis, fragmenta tantum perexigua, aliorum de re naturali auctorum Arabicorum, quorum unici Nuvairii[1] meminisse sufficiat, ne minimum quidem literis excusa sint. Interim quod reperimus filum teneamus, jamque in ipsum hunc *Nicolaum*, quem *Alfredi* Aristotelem credere fas est, inquiramus.

Silvester de Sacy ad Abd-Allatifum[2], exposito Hadschi-Chalfae loco jam supra laudato, sic pergit: *Nicolas*[3], *auteur de ce commentaire, si ce commentaire n'est pas lui-même un ouvrage pseudonyme, est peut-*

---

1 Non possum hac occasione praetermittere indiculum, quem beatus *Reiske* in prodidagmatibus ad historiam et geographiam orientalem (excusis cum *Abulfedae* tabula Syriae, ex edit. *Koehleri*) pag. 233, cum de reliquis operis partibus, tum maxime de botanica ejus parte, magnam movente expectationem, concinnavit. *Fen quartum tractat de plantis. Et quidem parte prima, capite* 1. *de origine et sole plantarum.* 2. *De plantis cuique regioni propriis.* 3. *De alimentis, viridibus herbis et oleribus. Parte secunda de arboribus, et* 1. *de iis, quarum fructus induti sunt cortice, qui comedi nequit.* 2. *De iis, quarum nuclei comedi nequeunt.* 3. *De iis, quae neque corticem neque nucleos duros habent. Tertia de fructibus* [puto fruticibus] *odoratis.* 1. *De recentibus fragrantibus, et quae destillantur, ut rosa, rosa canina (Nasrin), Chelak (nigrae baccae botryos vulpinae) et Nilufar (Nymphaea).* 2. *De recentibus fragrantibus, sed destillari non solitis, ut viola, jasmin, narcissus, myrtus, crocus, ocymum. Quarta parte* 1. *de hortis.* 2. *De floribus.* 3. *De gummatibus, quorum sunt* 28 *species.* 4. *De mannis. Quinta de aromatibus.* 1. *De musco et ejus speciebus.* 2. *De ambra et ejus speciebus et locis natalibus.* 3. *De agallocho.* 4 *De sandalo.* 5. *De spica Indica et caryophyllis.* 6. *De costo.* 7. *De compositione gallarum et naddorum* (ند). 8 *De compositione 'r Ramek et es Sukki ex or Ramek et unguentis.* 9. *De compositione n' Nadhuhat (guttarum, quae ori solent instillari) et aquarum stillatitiarum et non stillatitiarum.* 10. *De medicamentis venerem languentem erigentibus.*

2 Pag. 77.

3 *Fabric.* bibl. Gr. tom. XII pag. 582; XIII pag. 5 et 346.

être le même, que Galien et Paul Eginète citent sous le seul nom de Nicolas, et qui est plus ancien que Nicolas d'Alexandrie, auquel est attribué le traité de la composition des médicamens connu sous le nom de Dynameron. Casiri[1] *parle encore d'un abregé de l'histoire des animanx d'Aristote composé en grec par Nicolas et traduit en arabe. M. Sprengel*[2] *ne pense pas, que Nicolas cité ici par Abd-Allatif puisse être Nicolas surnommé Actuarius ou Myrepsicus.*

Diu frustra hisce summi viri verbis inhaesi; neque meliori fortuna centies cum Nicolai Myrepsi Dynameron, tum quaecunque de aliis Nicolais medicis tradita essent, pervolvi. *Nostrum* Nicolaum ex Hadschi Chalfa scimus Arabice versum esse ab Isaaco ben Honain, qui anno 910 p. C. n. mortuus est; *Myrepsus* vero et Mesuen laudat et Michaelem Palaeologum, tum ipse ut vivus laudatur a Georgio Acropolitano[3], quem usque ad annum 1282 vixisse scimus[4]. Saeculo circiter antea[5] Nicolaus *Praepositus* Salernitanus antidotarium composuit, cum Myrepsi dynamero adeo saepe congruens, et ab altera parte tam multis recedens, ut non alter alterum compilasse, sed potius uterque eodem fonte hausisse videatur. Quo factum, ut sint, qui Nicolaum quendam *Alexandrinum* et Myrepso et Praeposito priorem statuant, ceterum incertae aetatis. Nescio an jure. Sed quidquid est, *plantarum liber* auctorem prae se fert argutiarum peripateticarum sectatorem, singularum rerum naturalium ignarum, grandique eas supercilio aspernantem, quem longas compositarum medicinarum formulas concinnasse nunquam crediderim. Nicolai porro *senio-*

---

1 Bibl. Ar. Hisp. Escur. tom. I. pag. 306.

2 Gesch. der Arzn. tom. II pag. 322.

3 Cf. *Sprengel* Gesch. d. Arzn. tom. II pag. 247.

4 *Fabric.* bibl. Gr. vol. VI pag. 450.

5 *Sprengel* l. c. pag. 404. Quin quod duobus saeculis antea, auctor est *Choulant*, Bücherkunde f. d. ält. Medic. pag. 99—100.

ris illius a Galeno laudati, quem nostrum putabat Silvester de Sacy, non nisi nomen superest; etenim ne medicamenta quidem suo nomine descripta, utrum ab eo inventa, an honoris causa ei dicata sint, noscitur. *Pseudonymum* denique esse posse plantarum librum, non nego quidem, sed quo jure id ponas, non video; quin fugiendam esse puto conjecturam, qua ulterioris disquisitionis fila quaecunque resecantur.

Spem ultimam in *Abu-Osaibiae* vitas celebriorum medicorum posueram, quorum elenchum Reiskio [1] debemus, iis tamen capitulis, quibus Graeci narrantur, truncatum, mihique idcirco inutilem. Contigit tandem beati *Dietzii* copiosissima ex hoc opere excerpta perlustrare, quae manuscripta in bibliotheca nostra regia et academica servantur. Jamque de Nicolai nomine bis ibi invento mihi gratulabar, capite *quinto*, *de medicis post Galenum vel ei supparibus*, et capite *sexto*, *de medicis Alexandrinis, Christianis, aliis:* sed vitam ejus desiderabam, non a Dietzio, sed ab ipso, ut videtur, auctore omissam; ipsoque nomine Arabico, cui Dietzius Latinum subscripsit, paulo accuratius considerato, me simulacro illusum esse sensi. *Nicolai* enim nomen ab Arabibus ita scribi solet, ut aliter efferri prorsus nequeat (نيقولاوس); nomen contra apud Abu-Osaibiam occurrens scriptum est انقيلاوس, sive *Inkilaus* sive *Ankilaus* efferendum, sub quo, si quid video, non Nicolaus, sed *Anaxilaus* latet, de quo conferatur Fabricius [2]. Qui quod Galeno longe prior fuit, non obstat, quum plures diversissimorum temporum medicos ab Abu-Osaibia sibi approximatos deprehenderim.

Deinde, ne ullam viam praeterirem iuexpertam, cl. *Gustavum Fluegel* precibus adii, ut integrum Hadschi-Chalfae capitulum de libro plantarum, literis nondum excusum, mecum communicaret, sperans fore, ut contineret ali-

---

1 Reiske et Fabri opusc. med. ex monum. Arabum et Ebraeorum. Recens. Gruner. Pag. 41 sqq.

2 Bibl. Graec. vol. XIII pag. 56.

quid a Silvestre de Sacy omissum, quo duceremus ulterius. Quod illum quidem pro sua liberalitate sine mora fecisse, speique meae in Hadschi-Chalfam collocatae finem imposuisse, jam supra dixi. Id autem, ut grato animo profitear, reliquum est, eum duos alios Arabicorum auctorum locos, Nicolaum spectantes, alterum editum alterum ineditum adjecisse, quibus perlectis *εὕρηκα* exclamabam.

Alterum ineditum *bibliotheca philosophorum Arabica*[1] suppeditavit. *Nicolaus philosophus erat tempore suo inter philosophos Ionicos* [i. e. Graecos], *eximia sapientiae cognitione. Explicuit libros quosdam Aristotelis. Ex ipsius operibus praeterea sunt liber de summa philosophiae Aristotelicae, selectis ejus sententiis; liber responsionis ad illos, qui intellectum et intelligibilia rem unam esse statuunt; liber compendii philosophiae Aristotelicae. Natus est Nicolaus Laodiceae, ibique commoratus est, et abhinc stirpem duxit, ut tradidit Ibn Bothlân. Erat magnae*

---

1 De qua cf. *Casirii* bibl. Arab. Hisp. Escor. tom. II pag. 332, et, quod ad libri auctorem attinet, *Fluegelii* adnotationem ad *Abulfedae* historiam anteislamicam, opera *Fleischeri* editam, pag. Fluegel suum hujus bibliothecae exemplar ex codice Vindobonensi exscripsit, quo sequens locus legitur pag. 387 his verbis: نيقولاوس كان فيلسوفا في وقته من فلاسفة يونان وله تقدّم في معرفة الحكمة وشرح شيا من كتب ارسطاطاليس وله من التصانيف بعد ذلك كتاب في جمل فلسفة ارسطاطاليس وخرج منه مقالات كتاب الرد علي جاعل العقل والمعقولات شيا واحدا كتاب اختصار فلسفة ارسطاطاليس وكان نيقولاوس هذا من اهل اللاذقية بها ولد وبها قومه ومنها اصله ذكر ذلك ابن بطلان وكان كثير الاطلاع عالما خبيرا بما ينقله ٭

perspicacitatis, eruditus, rerumque, quas transcribebat, bene gnarus.

Alter, *Abulfaragii*, a Pocockio ita Latine versus est[1]: *E philosophis etiam, qui prope haec tempora* [Juliani imperatoris] *floruerunt, fuit Nicolaus, philosophiae scientia praecellens. E libris ab ipso compositis est liber de summa philosophiae Aristotelicae, cujus apud nos* [apud Abulfaragium] *est exemplar Syriacum ex versione Honain Ebn Isaac; nec non liber de plantis, et liber responsionis ad illos, qui rem unam esse statuunt intellectum et intelligibilia. Inquit Ebn Batlan*[2]: *Laodiceam habuit patriam, atque in ea natus est.*

Quibus perlectis, collatisque iiscum, quae supra ex Hadschi-Chalfa reddidi, apparet, hunc et nostrum et Abd-Allatifi Nicolaum esse, neque Myrepsum neque medicum, sed peripateticum, Aristotelisque vel commentatorem vel epitomatorem vel utrumque; tum etiam eundem esse, cujus de animalibus excerpta ex Aristotele, ut supra diximus, Bibliothecae philosophorum Arabicae auctor laudet, et cujus de plantis librum Hadschi-Chalfa inter commentarios ad Aristotelem, Abulfaragius rectius inter propria auctoris opera recenseant. Adde ejusdem tot alia philosophici argumenti scripta, quae usque

1 *Abulfaragii* historia compend. dynast., edit. *Pocockii*, vers. pag. 88, textus, qui sequitur, pag. 140. ومن الفلاسفة الغريبة العهد من هذا الزمان نيقولاوس قد تقدم في معرفة الحكمة وله من التصانيف كتاب من جمل فلسفة ارسطوطاليس ولنا نسخته بالسرياني نقل حنين ابن اسحق وكتاب النبات وكتاب الرد علي جاعل العقل والمعقولات شيا واحدا قال ابن بطلان ان اصله من اللاذقية وبها ولد ۞

2 Eundem Pocokius ipse alibi *Botlan* scripsit, nos *Bothlân*.

ad Arabum tempora pervenerunt: num Graecos Graecum hominem literis adeo clarum penitus ignorasse credideris? At vero nullius Nicolai *Laodiceni*, *Juliano Caesari suppari s*, meminerunt. Verum est, indeque sequitur, Arabes in tempore patriaque Nicolai constituendis errasse. Neque ullus est, in quem reliqua cuncta adeo conveniant, nisi *Nicolaus Damascenus*, Augusti Caesaris aequalis, historicus celeberrimus, et, ut vulgo dicitur, peripateticus. Itaque difficultatum illarum removendarum periculum faciamus.

Primumque moneam, de *Laodicea* Nicolai patria, praeter Ibn-Bothlanum, ambiguae auctoritatis scriptorem, neminem memoriae tradidisse; neque Abulfaragium Nicolai aetatem certis definisse annis, sed potius, ut apud incerti temporis scriptores facere solet, postquam de Themistio, *Juliani Caesaris scriba*, verba fecisset, quasi dubitantem addidisse: *circa haec tempora floruisse Nicolaum*, eo, ut puto, consilio, ut peripateticum peripateticus exciperet. Ideoque testis contra me levioris sane ponderis; gravissimum autem pro me habeo *Averroem*, ex cujus vastis in Aristotelem commentariis *Patricius*[1] quaecunque ad Nicolaum spectant, diligenter congessit. Saepius hunc modo laudat, modo reprehendit, e. g. ad Aristotelem de anima[2], ubi: *Recte*, inquit, *videmus, quod Theophrastus, et Themistius et Nicolaus et alii antiquorum peripateticorum magis retinent demonstrationem Aristotelis, et magis conservant verba ejus* (sc. quam Alexander Aphrodisiensis). Idem ad Aristotelis metaphysica[3] hujus verba de corruptione suspecta corrigere conatur *ex Nicolai abbreviatione ex*

---

1 Discussionum peripateticarum tom. I pag. 136. — De quo auctore *Jordani* judicium (pag. 228) hic afferre liceat: *esse Patricium inter praestantissimos saeculi XVI auctores, et literariarum rerum historiae et philosophiae Aristotelicae apprime gnarum, cujus Discussiones peripateticas eorum, qui post ipsum de Aristotele scripsissent, plerisque scribendi materiam suppeditassent.*

2 Lib. III summ. I cap. 2 comment. 14, seu edit. opp. Arist. cum Averrois comment. Venet. apud Juntas forma max. vol. VI 1550 fol. 169 column. a vers. 43.

3 Lib. VII summ. 1 comment. 23, seu edit. laud. vol. VIII 1553. fol. 81 column. d vers. 38 sqq.

hoc libro, quam *Summae philosophiae Aristotelicae* partem esse verisimillimum est. Saepissime vero ad eadem metaphysica, ordinem Nicolai ab eo Aristotelis discedentem perstringens, nunc simplici Nicolai nomine eum appellat [1], nunc Nicolaum peripateticum, primae philosophiae auctorem [2], nunc denique expressis verbis Nicolaum *Damascenum* [3] dicit. Quod cognomen, ne interpretis protervitate adjectum putes, scias apud *utrumque* eorundem commentariorum interpretem, et *Paulum Israëlitam* et *Jacobum Mantinum* legi. Qua denique occasione placitum quoddam Nicolai a *Rhaze* [4] servatum addam, eundem sapiens auctorem, quem totus de plantis liber. Est autem hoc: *Nicolaus de philosophia Aristotelis dixit: coitus conterit, et facit celeriter venire ad senium, eo quod desiccat corpus.*

Graeci saepius quidem Nicolai Damasceni et res gestas et scripta historica narrant, rarissime philosophica tangunt; *Arabes* contra libros ejus philosophicos, vel saltem Summam philosophiae Aristotelicae, saepissime, historicos libros nunquam laudant. Quo factum existimo, ut nemo hucusque Nicolaum horum Laodicenum illorumque Damascenum eundem esse animadverteret. Rem ipsam tamen haud miror, quum Arabes exterorum populorum historiam nunquam coluerint, Graeci autem, qui haberent Aristotelem, Nicolao, ejus imitatore, facile supersederent. Verum etiam sunt aliqua *Graecorum* de ejus philosophia scriptisque philosophicis testimonia, quae coronidis loco jam afferam.

Non solum *Plutarchus* [5], *Athenaeus* [6], *Dio-*

---

1 Lib. III cap. 1, seu fol. 18 column. a vers. 43; et lib. V cap. 1, seu fol. 47 column. d vers. 58.

2 Lib. XII comment. 44, seu fol. 154 column. b vers. 10.

3 Ejusd. libri prooemio, seu fol. 136 column. c et d vers. 55, versione utraque et Pauli Israëlitae et Jacobi Mantini sibi e regione oppositis.

4 Continentis lib. XI cap. 4, quem locum debeo Fabricio, bibl. Graec. tom. XII pag. 380.

5 Sympos. lib. VIII.

6 Deipnosoph. lib. IV pag. 153, XIV pag. 652 edit. *Casauboni.*

genes Laertius[1], *Simplicius*[2] *peripateticum* vocant, sed etiam *ipse*, libro de vita propria[3], *se Aristotelis assectatorem* profitetur. Solus *Suidas*[4], qui etiam hunc ipsum locum transcripsit, utrum eum *peripateticum* an *Platonicum* dicat ambigit; nec ullum ejus librum philosophicum narrat. Paulo plura debemus *Simplicio*, qui ad Epictetum[5] hujus Nicolai scriptum *de pulcro in moribus* laudat; tum ad Aristotelis auscultationes physicas[6]: *Nicolaus*, inquit, *Damascenus in sua de diis commentatione tradit, ipsum Xenophanem asseruisse, principium esse infinitum et immobile.* Et rursus[7]: *Nicolaus tamen peripateticus narrat traditque, hunc* [sc. Diogenem] *posuisse, quoddam medium inter ignem et aërem elementum esse.* Quibus an, ut Patricio visum est, opus quoddam peculiare de diis indicetur, nescio, quum certe Summae philosophiae Aristotelicae pars esse possit. Porro *Simplicius* ad Aristotelem de coelo[8]: *Nicolaus peripateticus, paraphrasin faciens eorum, quae hic dicuntur, in dictis de philosophia Aristotelica sic posuit sententiam* etc. Quibus iterum Patricius verisimile reddi existimat, Nicolaum in omnes de coelo libros Aristotelicos paraphrasin scripsisse; equidem verbis postremis, a Patricio omissis, eandem Nicolai Summam intelligendam esse arbitror,

---

1 Lib. X nr. 3.

2 Locis mox laudandis, quos tamen, ipsius Simplicii editionibus Graecis destitutus, ita transcribam, ut apud Patricium in Discussionum peripateticarum tom. I pag. 136 leguntur.

3 *Nicolai Damasceni* historiarum excerpta et fragm. Edid. *Orellius.* Ubi pag. 4: *ζηλωτὴς γὰρ Ἀριστοτέλους γενόμενος κ. τ. λ.* — Quem tamen librum cl. editor, ut Nicolai parceret modestiae, non ipsius, sed amici cujusdam vel discipuli esse, sibi persuasit.

4 Voce *Νικόλαος Δαμασκηνὸς: περιπατητικὸς ἢ Πλατωνικός.*

5 Cap. 37 p. 195: *περὶ τῶν ἐν τοῖς πρακτικοῖς καλῶν.*

6 Lib. I comment. 3.

7 Loco citato.

8 Lib. II comment. 11: *καὶ Νικόλαος δ' ὁ περιπατητικὸς, παράφρασιν ποιούμενος τῶν ἐνταῦθα λεγομένων.* Reliqua a Patricio omissa substitui ex versione Latina Venet. apud Scotum excusa.

qua haud dubie et de coelo verba fecerat. Idem denique *Simplicius* prooemio primi de coelo: *proptera Nicolaus peripateticus de omnibus, quae in mundo sunt, specialem facit sermonem.* Ex quibus, si Patricio crederes, clare constaret, eum philosophiam quoque omnium mundanarum specierum scripsisse. Cui equidem libenter consentirem, Simpliciumque Nicolai et plantarum et animalium historiam philosophicam in animo habuisse mihi persuaderem, nisi totius loci contextus ostenderet, de iis sermonem esse, quae ipse quoque Aristoteles libris de mundo tractasset. Quibus iterum iterumque ad Nicolai Summam revolvimur.

Haec fere sunt, quae *Graeci* de *philosophicis* Nicolai Damasceni scriptis reliquerunt; pauca oppido, attamen sufficientia ad confirmandum Averrois testimonium, eundem Damascenum Summae philosophiae Aristotelicae auctorem esse, nec differre ab illo Nicolao, quem Ibn-Bothlân Laodicenum vocaret. Hunc autem de plantis opusculum scripsisse constat, cujus fragmenta apud Abd-Allatifum servata cum isto, quod jam tibi praebeo, opusculo ita congruunt, ut non possimus non eundem ejusdem Nicolai Damasceni fetum recognoscere.

Qua in opinione, nisi quis meliora docuerit, acquiescamus, nec Julium Caesarem Scaligerum nec innumeros ejus asseclas metuamus, in ipso, de quo agitur, opusculo aetatis longe inferioris vestigia se reperisse jactantes. Quae quidem adsunt vel plurima, nec difficulter animadvertuntur, mimime tamen, quod illos fugit, auctoris pedibus, sed interpretum „spatiosis congrua plantis.“ Quorum alia, Graeco interpreti propria, a Latina versione procul absunt, alia codicibus manuscriptis diligenter collatis evanuerunt, plurima denique Alfredum non dissimulant; quae enim Isaacus Ben Honain reliquisse merito arguatur, jam obscuriora sunt. Quibus singulis hic repetendis, quum in adnotationibus nostris satis perlustrata sint, supersedeo, nec nisi omnium instar *myrobalanos* tango, quos, tametsi olei expertes, prae reliquis presserunt. Cujus nominis fructus Indicos nec ante saeculum XIII, nec nisi Arabum ope, ad Graecos demum pervenisse, verum est; falsum contra, auctorem, cujus interpres

aliquis incautior hoc nomine utatur, saeculo illo non anteriorem esse posse.

Sed haec hactenus. Ad *fontes* Nicolai investigandos transeamus; quorum quos profitetur, ipsum non adiisse arbitror, quos certe adiit, tacet. Etenim praeter librum *meteorologicorum* proprium, quem saepius memoratae Summae partem esse opinor, laudat ***Empedoclem***, ***Anaxagoram***, ***Democritum***, ***Platonem***, ***Hipponem***, si recte legi, *antiquos* denique *sapientes* non nominatos. Qui non solum omnes et ab Aristotele et a Theophrasto laudantur, sed plerumque etiam, quapropter ab his, propterea a Nicolao, iisdemque verbis, quantum e versione colligere licet, inducuntur. ***Aristotelem*** autem atque ***Theophrastum***, nunquam laudatos, quam saepe tacitus compilaverit, adnotationum nostrarum quaelibet monstrat pagina. Quid ergo? Si quando antiquorum illorum placitum aliquod apud neutrum horum servatum pronunciat, nonne a deperdito quodam alterius utrius libro repetitum putaveris? Mihi quidem ita prorsus videtur, multumque cogitavi, quo signo ejusmodi locos, quos numerosos esse bene sentio, discernerem. Verum tantopere illorum verba suis modo parcius modo largius interspersis assimilavit, ut nihil profecerim. Id tantum pro explorato habere ausim, *genuinos* Aristotelis de plantis libros, quos Athenaeum [1] oculis usurpasse crederes, ad Nicolaum, tametsi longe anteriorem, non pervenisse. Sin secus, totius opusculi compositio haud dubie meliore ordine sese commendaret, a proposito aliena, ni plane evitata, certe brevius absoluta forent, gravioris momenti res accuratius tractatae, neque tot opiniones ab Aristotelicis secedentes offenderent. Idem enim Nicolaus, qui ab Averroë laudatur, quod in Summa magistri verbis pressius adhaesisset quam alii, eundem ducem per regnum vegetabile sibi prorsus incognitum, si habuisset, profecto non aspernatus esset. Ergo non habuit. Quam enim ingressus est viam,

1 E. g. pag. 652 A edit. *Casaub.*: *καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ φυτῶν οὕτως· φοινίκων ἀνόρχων, οὕς τινες εὐνούχους καλοῦσιν, οἱ δὲ ἀπυρήνους.* ***Et Aristoteles libro de plantis sic: dactylorum testibus destitutorum, quos alii eunuchos, alii nucleo carentes dicunt.***

eam Aristotele indignam esse, Jul. Caes. Scaliger ad nauseam usque demonstravit. Varia tantum e variis Aristotelis libris ad plantas spectantes, quin et horum pauca admodum collegit; quibus, ne liber nimis exilis evaderet, Theophrasti quaedam, plurimis neglectis, miscuit, passimque apud utrumque correpta membra, vinculis nonnullis additis, quanta polleret industria, coercuit.

Quosnam auctores Theophrasto juniores habuerit, nullo vestigio cognovi. Neque ipsas plantas consuluisse, sed in fingendis rerum ab aliis traditarum causis sibi satisfecisse videtur. Quarum causarum genera sunt perpaucula: natura plantarum vel calida vel frigida, vel humida vel sicca, suppositi partium pori modo ampliores modo angustiores, succus alius spissior alius tenuior, alius magis alius minus coctus; haec fere sunt, a quibus varie inter se conjunctis non solum nutritio augmenta generatio, sed etiam quaecunque formarum colorum saporum odorum vegetandique et temporum et locorum differentiae repetuntur, cujus artificii, si quis est honos, penes Nicolaum maneto.

Postremo de *edendi* Nicolai auxiliis, curisque in eum impensis, paucis dicendum est.

Codices mss. tres nancisci contigit, Basiliensem unum, Guelpherbitanos duos, quorum differentias quasdam jam supra tetigi. ***Basiliensis*** forma quadrata scriptus est in membranis, literis saeculi XIV initium, ne XIII finem dicam, indicantibus, lectu plerumque facilibus, nec ultra modum in compendia redactis. Liber uterque literis initialibus pictis maximis, capita numerosa majusculis distinguuntur, maximamque ad partem inscriptiones rubras prae se ferunt, quas ipso codice antiquiores esse inde conjicio, quod earum una perperam in utriusque codicis Guelpherbitani textum irrepsit. Librorum inscriptiones sunt: ***Liber Aristotelis de vegetabilibus translatus de Arabico in Latinum a magistro Alvredo.*** Tum: ***Secundus liber. Sic, de tribus viribus plantae. Capitulum primum sic, enumerant*** [lege *enumeratur*] ***prius, de quibus dictum.*** Ad finem: ***Explicit de vegetabilibus.*** Alfredi praefatio absque titulo manu longe seriori adscripta est. Eodem volumine plura

Aristotelis opera in Latinum sermonem translata comprehenduntur, quorum primum est *de generatione et corruptione.* Numerus codicis F. IV, 23. — ***Guelpherbitanus uterque***, eodem volumine, in dorso nr. 577, folio primo Misc. 4° 5 inscripto, comprehensus, pariter forma quadrata in membranis exaratus est. ***Alter***, medio circiter volumine incipiens manu recentissima inscriptus: ***Aristotelis liber de vegetabilibus, ex Arabico in Latinum translatus:*** interprete non nominato. Basiliensi codice, nisi vetustior, certe non junior est, nitide scriptus, scribendi compendiis paulo frequentioribus, nec tamen insolitis refertus, literis autem adeo parvis lineisque quorundam adeo tenuibus, ad quas rite cognoscendas lente vitrea opus sit. Alfredi praefatio liberque alter literis pictis maximis, capita, quae pauca sunt, majusculis incipiunt, argumentorum indicibus destituta. — ***Alter***, ad voluminis finem affixus, saeculi XV initium vix excedit. Utriusque libri capitulorumque, quorum paucissima distinguuntur, literae initiales desiderantur; reliquae paulo majores minusque aequales quam ambarum priorum, totaque scriptio magis neglecta. Quos inter codex Guelpherbitanus I praestat, sequitur Basiliensis, infimum locum Guelpherbitanus II obtinet, ita tamen, ut neque primus omnibus numeris absolutus, neque ultimus omni commendatione indignus sit, mediusque ad illum propius quam ad hunc accedat.

Aliis Nicolai codicibus mss., ad bibliothecam regiam ***Parisiensem*** pertinentibus, ***Jordanus*** libro supra laudato usus est, quorum lectiones discrepantes passim indicatas diligenter adnotavi.

Maximi vero emolumenti fuerunt ***Alberti Magni*** de vegetabilibus liber I et IV, quibus auctor, optimo instructus codice, Nicolaum, quem Aristotelem esse judicat, religiose sequitur; ea quidem, qua paraphrastam decet, ratione, ut, qui Nicolaum non legerit, utriusque verba, summa arte contexta, neutiquam dignoscat, qui vero legerit, neque facile ea confundat, neque ullum prope Nicolai verbum desideret, lectionesque reperiat plerasque cum codice G. I convenientes, alias meliores, paucissimas minus commendabiles. Quarum expiscandarum negotium satis magnum, nisi integrum Albertum

de vegetabilibus denuo edere in animo esset, vix suscepissem. Etenim editio Alberti utraque, quas alibi [1] plenius descripsi, tantis scatet vitiis, quantis vix infimus ipsius Nicolai codex manuscriptus. Itaque hic etiam ad codices mss. confugiendum erat; quorum duos, optimae utrumque notae, cum bibliothecarum publicarum liberalitati, tum maxime amicorum benevolentiae debeo, alterum *Basiliensem*, alterum *Argentoratensem*, de quibus, cum Alberto quondam praefabor, pluribus dicam.

Veteris versionis editionem Venetam per *Gregorium de Gregoriis* conferendi copiam mihi non fuisse, jam supra monui. *Nuperiorum* autem editionum versio cum Graeca tum Latina ad pessimum veteris illius exemplar tam negligenter comparata est, ut a perpetua utriusque collatione jam incepta mox fessum me destitisse, nec nisi aberrationes memoratu digniores adnotasse confitear.

Neque fragmenta Nicolai a *Vincentio Belluacensi* in Speculi naturalis volumen primum recepta, si colligerem, operae pretium fore duxi, praesertim qui hujus voluminis editione Menteliana caream, Norimbergensi, quam habeo, post severum Eberti [2] judicium minus fidam.

Sed alius generis quaedam Nicolai edendi adminicula sunt, ante omnia *Aristotelis Theophrasti*que loci ab imitante eos Nicolao effícti; quibus, ut mea fert opinio, non solum codicum mss. fides, sed etiam interpretis utriusque auctoritas derogatur. Quam ob rem his colligendis riteque conferendis maximam dedi operam. Cui negotio mihi incumbenti nonnunquam visum est, quasi reciprocarentur, quae illi Nicolao, hic illis praestaret officia. Ad quae confirmanda, si placet, legantur, quae ad pag. **16** lin. **14**, ad pag. **18** lin. **5** et **10**, pag. **19** lin. **25**, ad pag. **21** lin. **6** et **13** adnotavi; nec dubito fore quin viris philologis plura ejusmodi a me botanico praetermissa occurrant.

Grammaticam artem praetereo, quam qui spreverunt, dum laborant deinceps, ab ipsa quicquam sperare ne-

1 In *Schlechtendalii* Linnaea seu Diario botanico, vol. X pag. 732.

2 Bibliograph. Lexic. nr. 23612.

queunt. Quum autem sciamus, Alfredum neque botanicarum rerum neque linguae Arabicae satis fuisse peritum ad interpretis negotium, prout debuisset, gerendum; quod verba permulta, inprimis plantarum nomina, Latinis literis Arabice transcripta testantur: ad *hanc* maxime linguam recurrendum esse putavi, multaque verba Arabica a librariis, non ad sensum, sed ex aliqua soni similitudine Latina facta reperi, quibus Arabice restitutis Latineque explicatis, haud exiguus dictorum numerus inconcinnitatis temeritatis amentiae opprobrio demum liberatus est. Adde alia, versa quidem ab Alfredo, sed minus recte; alia ne recte quidem in ipso codice Arabico lecta, quae, quamquam hoc deficiente non nisi conjectura assequi possumus, maximam tamen veri speciem offerunt. Proinde, si quo dicto plane absurdo aliam medicinam afferre desperaveram, unius alteriusve verbi Arabici restituendi aptiusque vertendi, quin etiam leviore quadam mutatione corrigendi, periculum feci. Neque poenituit, tametsi, quam lubrica haec via sit, bene sentiam, nec nisi primis difficillimae illius linguae rudimentis imbutum me profitear.

Nunquam autem ejusmodi conjecturas, quibus ipsius Alfredi verba corrigerentur, in textum recipere ausus sum, quem potius ita prorsus, ut ab illo profectus esset, reddere studui. Praeterea, diligentiae laude fretus, artem criticam mihi non arrogo, causaeque patronum adoptavi, Scribonium Largum, quem licet medicum, ob quandam utriusque artis similitudinem spero fore, ne recuses. Hic in praefatione: *Quasi per gradus*, inquit, *quosdam medicina laborantibus succurrit. Nam primum cibis, ratione aptoque tempore datis* (grammaticus codicibus diceret accurate collatis), *tentat prodesse languentibus. Deinde, si ad hos non responderit curatio, ad medicamentorum succurrit vim* (ad grammaticae logicaeque artis regulas); *potentiora enim haec et efficaciora, quam cibi. Post, ubi ne ad haec quidem cedunt difficultates adversae valetudinis, tunc coacta ad sectionem, vel ultimo ad ustionem devenit.* Ita in homines saeviunt e consulto: ego librum, maximis saucium injuriis, ussi. Tuum erit, ut, quo eventu id fecerim, non, quo jure, videas. Vale.

NICOLAI DAMASCENI

DE

PLANTIS LIBRI DUO.

SIGLARUM EXPOSITIO.

Alb. — Albertus Magnus; cujus, nisi quid aliud indicatum sit, de Vegetabilibus libb. VII intellige. Numeri Latini librum, literae Latinae majusculae tractatum, numeri Arabici caput indicant.

Alb. cod. Arg. — Ejusdem codex ms. Argentinensis.

Alb. cod. Bas. — Ejusdem cod. ms. Basiliensis, quem ne cum ipsius Nicolai codice ms. Basiliensi confundas cave.

Alb. ed. J. — Ejusdem editio per Jammy.

Alb. ed. Z. — Ejusdem editio per Zimaram.

Arist. — Aristotelis opera, ex Imm. Bekkeri recensione, nisi alia editio expressis verbis laudata sit.

Bas. — Nicolai de Vegetabilibus codex ms. Basiliensis.

G. I et II. — Ejusdem codices mss. Guepherbitani primus et alter.

I. Gr. — Interpres Nicolai de vegetabilibus Graecus, ex Imm. Bekkeri recensione, in operum Aristotelis editione laudata.

I. Lat. R. — Ejusdem interpres Latinus recentior, editionis ejusdem.

Jord. — Jordani sive Jourdain Recherches sur les traductions latines d'Aristote. Editione Germanica a cl. Stahr adornata usus sum.

W. — Phytologiae Aristotelicae fragmenta, edid. Fr. Wimmer. Vratislav. 1838.

V. — Vincentii Belluacensis specul. naturale.

ALFREDI AD ROGERIUM
DEDICATIO[1].

Tria, ut ait Empedocles, in tota rerum varietate praecipue[2] excellentissimum divinae munificentiae donum[3], philosophiam[4] scilicet, extollunt magnifice[5]: mobilis affluentiae contemtus, futurae felicitatis appetitus, mentis illustratio; quorum primo nihil honestius, secundo nihil felicius, tertio nihil ad amborum adeptionem[6] compendiosam[7] efficacius. Quid enim animo ad egregiam intelligentiae frugem instructo fortuitis[8] opum cumulis abjectius, cum[9] cujuslibet virtus substantiae ad certam omnium possessionem[10] tam ex se quam praeter motum sufficiat[11]! Namque aeternitas inspirat affectum extremarum[12], ut ait Boëtius, causarum; a primo et primo[13] annexis concludit[14] exclusio.

Quod igitur considerans, cum[15] tantae excellentiae parvitatis meae mihi conscius nihil proprium adire[16] praesume-

---

1 Inscriptionem dedicationis adjeci. In Bas. tota dedicatio manu recentiori adscripta est. Apud Jord. ejusdem recensio extat ad fidem codd. mss. Parisiensium, sub numero XXX. — 2 *precipua* Bas. — 3 *conum* G. II; Bas. omisit. — 4 *philosophicam* G. II. — 5 *magnificentiam* G. II. — 6 *adoptionem* G. II. — 7 G. I et Jord. omisere. — 8 *fortunis* G. II, *foraricis* G. I. — 9 G. II omisit. — 10 Sic Jord.; codd. mei *passionem*. — 11 *tam exequam preter sufficiat* G. II. — 12 *eternitatis ut insp. affect. externarum* G. I; *eternitas insp. effectum extremarum* G. II. — 13 *post* Bas. et G. II. — 14 *conclusit* Bas. et G. II. — 15 *tamen* G. II; Jord. omisit. — 16 Sic Bas., G. II et manus posterior in G. I, ubi antea *adiendum ire*; Jord. edid. *adjectum ire*.

rem, quod tamen[1] non infimorum est[2], parvulam essentialem tamen philosophiae particulam, librum scilicet Aristotelis de vegetabilibus ex Arabico in Latinum transferens, in nostri idiomatis angustias, quantulacunque[3] adjectione ampliavi[4], tibique[5] hoc opus, dilectissime mi Rogere[6], velut maturas Baccho palmites vel[7] aureos Cereri culmos[8], ne in aliquo a Boëtio dissentiam[9], rectissime devovi[10]. In quo quidem opusculo non sedule quantitatem velim ut[11] consideres, sed tantam rerum difficultatem[12] miro[13] quodam verborum compendio comprehensam, quantocunque[14] sudore ex tam fluido loquendi genere, quod apud Arabes est, expressa sit, attentius[15], si libet, inspicias[16].

---

1 *michi* G. II. — 2 G. I omisit. — 3 *quanti latinumque* Bas. - 4 *ampliantibus* Bas. — 5 *tibi quod* Bas.; *tibi* G. I. — 6 *mi H.* G. I et II, *mi R.* Bas. et Jord. Sed inter Jordani codd. mss. erat, qui nomen integrum offerebat. — 7 *ut* G. I. — 8 *ramos aureos cerei* Bas., *ram. aur. cerri* G. II. — 9 *in quoquam Boetio dissentiam* G. I, *in aliquo abortio dissentia* G. II. — 10 *deveni* G. II. — 11 G. I *ut* omisit; *veluti* G. II. — 12 *rerum diffusionem imo difficultatem* G. I. — 13 *in uno* G. II. — 14 *quantoque* G. I et II. — 15 *intentius* G. I et II. — 16 G. II addit *set verbis.*

NICOLAI DAMASCENI

DE PLANTIS

LIBER I[1].

CAP. I. Vita in animalibus et plantis inventa est[2], in animalibus manifesta[3] apparens, in plantis vero occulta, non evidens. At hujus enim assertionem multam necesse est inquisitionem praecedere, [Constaret enim[4],] utrum habeant nec ne[5] plantae animam et virtutem desiderii dolorisque et delectationis discretivam. Anaxagoras autem et Abrucalis[6] desiderio eas moveri dicunt[7]; sentire quoque, et tristari delectarique asserunt. Quorum Anaxagoras animalia esse has[8], laetarique et tristari[9] dixit, flexum[10] foliorum argumentum assumens. Abrucalis autem sexum in his permixtum opinatus est[11]. Plato siquidem[12] desiderare tantum eas propter vehementem nutrimenti necessitatem ait. Quod si constet, gau-

---

1 G. I et II nullum libri titulum exhibent, Bas. sequentem: *Liber Aristotelis de vegetabilibus, translatus de Arabico in Latinum a magistro Alvredo.* Sed NICOLAUM DAMASCENUM auctorem esse, in praefatione demonstrasse mihi videor. — 2 Bas. omisit. — 3 *inventa* Bas. — 4 Verba uncis inclusa solus Bas. non habet. I. Lat. R. reddit *neque enim constat*; Albertus *si enim plantae haberent vitam manifestam etc.* —, *tunc constaret etc.* — 5 *ut habeant ne* G. I, *utrum habeant vitam nec ne* G. II; Bas. omisit verba *nec ne.* — 6 Sic Jord. additis [*alibi Abrutallus*]. Albertus *Protagoram* (non Pythagoram, ut vulgo legitur) esse asserit, *quem Arabes*, ait, *corrupte Abrutallum vocant, alii Abrucalem.* Praeterea cum hoc loco tum saepius infra legitur in Bas. *Abrucalus*, in G. II *Abrutalus*, in G. I *Abrutallus*; apud Jord. pag. 185 *Brutalus*, et pag. 300 *Abrutatus*, apud I. Gr. et Lat. R. semper *Empedocles.* — 7 Bas. et G. I omisere. — 8 Jord. omisit; *harum esse* G. II. — 9 Bas. omnia inde ab antecedente verbo *tristari* omisit. — 10 Vulgo *fluxum.* — 11 Hactenus specimen, per Jordanum pag. 391—392 a cod. Parisino transcriptum. — 12 *quidem* G. II.

dere quoque[1] et tristari, sentireque[2] eas, consequens erit[3]. Id quoque constare desiderem[4], an[5] somno reficiantur excitenturque[6] vigiliis, spiritum quoque et sexum[7] per mixtionem[8] sexuum[9] habeant, vel contra[10]. Multa autem[11] circa haec ambiguitas longam facit inquisitionem. Haec siquidem[12] praetermittere, nec dispendiosis circa singula perscrutationibus memorari opportunum. Quidam autem habere animas has[13] dixerunt, quia generari nutriri augeri[14], virescere juventute, senioque dissolvi[15] conspexerunt[16], cum nullum inanimatum haec cum plantis habeat communia. Quae si habuerint[17] plantae, desiderio quoque affici credebant.

Cap. II. Primo ergo manifesta[18], mox occulta prosequamur[19]. Dicit Plato[20]: quicquid cibatur, desiderat[21] cibum[22], et delectatur saturitate, tristaturque[23], cum esurit[24]; et non accidunt[25] hae dispositiones nisi cum sensu. Hujus igitur mirabilis erat intentio, qui eas sentire et desiderare opinabatur. Anaxagoras autem et Democritus[28] et Abrucalis illas intelligectum[27] intelligentiamque habere dicebant. Nos vero[28], haec ut foeda repudiantes[29], sano insistamus sermoni. Dico ergo, quod plantae nec sensum habent nec desiderium. Desiderium enim non est nisi ex sensu, et nostrae voluntatis finis ad[30] sensum convertitur. Nec invenimus in eis sensum, nec membrum sentiens, nec similitudinem ejus, nec formam terminatam, nec consecutionem rerum[31], nec motum, nec viam ad[32] aliquid sensatum, nec signum,

---

1 G. II addit *eas.* — 2 *sentire quia* G. II. Bas. verba antecedentia *quoque et tristari* omisit. — 3 *erat* G. II. — 4 *desidera* Bas., *id quod quia constare desiderem* G. I, *ideo quoque constare desiderii etiam* G. II. — 5 *aut* G. II. — 6 *excitantur quia* G. II. — 7 *speciemque et sexuum* Bas. — 8 *permixtorum* G. II. — 9 *sexuumque* Bas., *sextiumque* G. II. — 10 *vel non* Bas. — 11 *aut* G. II, G. I omisit. — 12 *siquid* Bas. — 13 Bas. omisit; *animas eas habere* G. II. — 14 *generari nutriri generat* Bas. — 15 *virescere juventute, senescere senioque dissolvi* G. II. — 16 *complexerunt* Bas. — 17 *habuerunt* G. II. — 18 *inanimata* G. II. — 19 *assequamur* G. I. — 20 *dico ergo, quod* G. I, *dico ergo* Bas. et G. II. — 21 *et desiderat* G. I. — 22 Bas. et G. II omiserunt. — 23 *tristatur* Bas., *tristatur quidem* G. II. — 24 *esurierit* G. II. — 25 *acciderent* Bas. — 26 *Demotus* G. II. — 27 *has intelligere ajunt* G. I. — 28 *quoque* G. I. — 29 *reputantes* Bas. et G. II. — 30 *finis quod ad* G. II. — 31 Bas. addit *ejus rerum.* — 32 Sic I. Lat. R.; *nec vim ac virtutem, per quam cognoscimus, aliquid hujusmodi plantis inesse* Alb., *nec iterum* Bas., *nec unquam ad* G. I, *necnec ad* G. II.

per quod judicemus, illas sensum habere, sicut signa[1], per quae scimus, eas nutriri et[2] crescere. Nec constat hoc nobis, nisi quia nutrimentum et augmentum partes sunt animae. Cumque plantam talem invenimus, aliquam[3] partem animae illi[4] inesse necessario intelligimus[5]; sensuque carentem[6] sensatum esse, contendere non oportet, quia sensus est causa illustrationis vitae, nutrimentum vero causa est augmenti[7] rei vivae.

Cap. III. Hae autem diversitates proveniunt suo loco. Difficile nimirum inter vitam et ejus privationem medium invenire[8]. Dicet[9] quoque aliquis, plantam[10], si sit vivens, esse animal. Namque difficile est[11], vitae plantarum[12] regimen assignare praeter regimen vitae altricis[13]. Qui autem plantas vivere negant[14], est, quod non sentiunt; quamquam sunt[15] quaedam animalia sapientia et intellectu carentia. Natura tamen, animalis vitam in morte corrumpens, ipsam in genere suo conservat[16]; estque inconveniens, ut[17] inter animatum et inanimatum medium ponamus[18]. Scimus autem[19], quod conchylia animalia sunt sapientia et intellectu carentia, suntque plantae et animalia. Solus ergo sensus est causa[20], quare illa dicuntur[21] animalia, quia genera dant suis speciebus nomina et definitiones, species vero[22] suis individuis nomina, debetque[23] genus ex una causa esse in multis, et non ex multis[24]; intentio autem causae[25], per quam confirmatur genus, non cuilibet est pervia[26]. Sunt autem animalia, quae

---

1 *signat* G. II. — 2 G. I. omisit — 3 *aliquamque* Bas. — 4 *nulli* G. II. — 5 *intelliganus* G. I et II. — 6 *sensu quod careat tunc* Bas., *sensu quoque careat tunc* G. II. — 7 *alimenti* G. II. — 8 *sumere vel comprehendere* Bas., *apprehendere* G. II, *judicare et invenire* Alb. — 9 *licet* Bas. — 10 G. I. omisit. — 11 G. I. omisit. — 12 *difficile est plantis* G. II. — 13 Bas. vocabula undecim antecedentia omisit. — 14 *negat* Bas. — 15 *quia sunt* Bas. et G. I, *quod sicut* G. II. Sententia vero mutationem in *quamquam sunt* postulare videbatur; cui I. et Gr. et Lat. R. favent, quorum ille: *καὶ γάρ εἰσι καὶ τινα ζῶα;* hic; *sunt autem animalia quoque nonnulla.* — 16 *conservatio* G. II; *confirmans* G. I. — 17 *est quia inquiens*, omisso *ut*, G. II; *estque communis ut* Bas. — 18 *ut ponamus* G. II. — 19 *enim* Bas. — 20 Bas. omisit. — 21 *dicantur* G. I et II. — 22 *ejus* Basil. — 23 *debet qui* Bas. — 24 Bas. verba *in multis*, G. I verba *non ex multis* omisere. — 25 Bas. omisit. — 26 *manifesta* G. II.

sexu[1] carent fememineo, et sunt quae non generant, suntque[2] quae motum non habent, et sunt quaedam[3] diversorum colorum, et sunt, quae faciunt prolem sibi dissimilem, et sunt, quae ex arboribus[4] crescunt.

CAP. IV. Quid[5] ergo est principium vitae animalis[6]? Quidve animal nobile[7], ut quod circuit coelum solem et stellas[8] planetas, ab intricata extrahet[9] ambiguitate? Impassibilia enim sunt, sensus vero[10] sentientis[11] passio. Non autem[12] habet planta motum ex se, terrae enim[13] affixa est, haec autem immobilis. Unde ergo syllogizabimus, ei vitam ut faciamus, aliquid[14] verisimile? Non enim[15] continet illas res una communis. Dicimus[16] ergo, quod vitae animalis[17] commune est sensus, quia sensus facit discretionem inter vitam et mortem; sed coelum, cum habeat[18] regimen nobilius et dignius[19] nostro regimine, elongatum est ab his. Oportet autem, ut animal perfectum et diminutum habeant[20] aliquid commune, et hoc est inventio vitae[21] et ejus privatio. Nec oportet, ut quisquam recedat ab his nominibus, quia non est medium inter animatum et inanimatum[22], nec inter vitam et ejus privationem; sed inter inanimatum[23] et vitam est medium, quia inanimatum est, quod non habet animam nec aliquam partem ipsius[24]. Sed planta non est de his, quae carent anima, quia in illa[25] est[26] aliqua pars animae; et non est animal, quia in illa[27] non est sensus[28]; et exit de vita ad mortem paulatim[29] ut singula. Possumus etiam alio modo dicere, quod est animatum. Et non dico tamen, quod sit inanimatum, si habuerit animam et aliquem sensum, [quod

---

1 G. II. omisit. — 2 *sunt* G. II. — 3 *que* G. II. — 4 Bas. omisit *ex arboribus*; *e terra crescunt aut arboribus* Int. Lat. R., *quae crescunt in terra plantata ad modum plantarum* Alb. — 5 *quicquid* G. II. — 6 *vite in animalibus* G. I, *in vita animalis* G. II. — 7 *mobile* G. II. — 8 *stellat* G. II, *solem, stellas et planetas* I. Lat. R. — 9 *extrahet ex hac* G. II. — 10 *enim* G. I, *enim est* G. II. — 11 G. II omisit. — 12 *enim* G. II. — 13 *autem* G. I et II. — 14 *illud* Bas. et G. I. — 15 *autem* G. I et II. — 16 *dico* G. II. — 17 G. I omisit; *quod intentio est sensus* Bas. — 18 *quod habet* Bas. et G. II. — 19 G. I omisit *et dignius*. — 20 *habeat* Bas. et G. II. — 21 *et hoc tamen inventis vite vel in tantem vite* G. II. — 22 Bas. omisit *et inanimatum*. — 23 *animatum* Bas. — 24 *ejus* Bas. et G. II. — 25 *ea* G. II. — 26 Bas. omisit. — 27 *ea* G. II. — 28 *sexus* Bas. — 29 *plantatim* G. II.

est[1]] quia[2] res, quae cibatur, non est sine anima, et omne animal habet animam. Sed planta est res imperfecta, et animal habet membra determinata, et planta indeterminata, et habet planta naturam propriam ex motu, quem habet in se. Potestque[3] dicere aliquis, quod habet[4] animam, quia anima est, quod facit motus[5] nasci in locis et desideria; et motus in locis non erunt nisi cum sensu. Sed attrahere[6] cibum erit ex principio naturali, et illud commune est animali[7] et plantae; et non erit cum attractione cibi sensus omnino, quia omne cibabile utitur in sua cibatione duabus rebus, scilicet et calore et frigore, et proprie[8] eget animal cibo humido et cibo sicco, quia frigiditas inventa est in cibo sicco[9], quia nulla istarum duarum naturarum separatur a socio suo. Et ideo[10] factus est cibus cibanti continuus[11] usque ad horam corruptionis, et debent[12] uti animal et planta tali, quale[13] est illud.

Cap. V [editt. II]. Perscrutemur[14] autem id, quod praecessit in sermone nostro, de desiderio[15] plantae, et motu ejus, et anima sua, et quod resolvitur ab ea[16]. Et non habet[17] planta spiritum[18], licet Anaxagoras dixerit, ipsam[19] habere spiritum; et jam invenimus multa animalia, quae non habent spiritum. Et invenimus visibiliter[20], quod plantae non dormiunt nec vigilant, quia vigilare est[21] de effectu sensus, et dormire est debilitas sensus[22], et non invenitur aliquod horum in re, quae vegetatur in[23] omnibus horis secundum dispositionem unam, et ipsa in[24] natura sua est non[25] sentiens[26]. Et quando cibatur animal, ascendit vapor a cibo

---

1 Bas. uncis inclusa omisit. — 2 G. II omisit. — 3 *potest* G. I et II. — 4 *quod non habet* G. I, negatione supra lineam adscripta. — 5 *motu* G. I. — 6 *attrahens* Bas. — 7 *et est quare animali* G. II. — 8 *prius* Bas., *ideo* G. II. — 9 Bas. verba inde ab antecedente *quia* omisit. — 10 *primo* Bas., *ideo primo* G. II. — 11 *cibarique continuum* Bas. — 12 *desinit* G. I. — 13 G. I. omisit. — 14 *perscrutentur* G. II. — 15 *in desiderio* G. I et II; Bas. praepositionem omisit. Scripsi *de*, ut ablativi quodammodo tolerari queant. — 16 *ab ea anima plante* G. II. — 17 G. I. omisit. — 18 *speciem* G. II. — 19 *illa* Bas., *illas* G. II. — 20 *visualiter* G. II. — 21 G. I omisit. — 22 G. I omisit *et dorm. est debil. sens.* — 23 *nec* G. II. — 24 G. I. omisit. — 25 G. II omisit. — 26 *et ipsum in natura sua non sentinebetur* (sic!), omisso sequente *et*, Bas.

ejus[1] ad caput, et dormit; et quando consumitur[2] vapor ascendens ad caput, vigilat. Et in quibusdam animalibus est hic[3] vapor multus, quae tum[4] parum dormiunt. Et dormitio[5] est compressio[6] motus, et compressio est quies rei motae.

Cap. VI. Et quod contingit maxime et proprie[7] inquirendum in hac scientia, est[8] quod dixit Abrucalis, videlicet si invenitur in plantis sexus femineus et sexus masculinus sive species[9] commixta ex his duobus sexubus[10]? Sed dicimus, quod[11] masculus quando generat, in alio[12] generat, et[13] femina quando generat, ab alio generat, et[14] sunt ambo separati ab invicem; et illud[15] non invenitur[16] in plantis, quia quaelibet species plantae masculinae[17], quod erit ex ea[18], erit asperius durius rigidius, et femina erit debilis et fructifera[19]. Et debemus inquirere, utrum inveniantur illae duae species[20] simul conjunctae[21] in unum esse in plantis, sicut dixit Abrucalis. Sed ego non opinor, quod hoc ita sit[22], quia res, quae permiscentur, debent prius[23] esse simplices in se, et erit per se[24] masculus et per se femina; deinde commiscentur, et commixtio rei[25] non erit[26] nisi per suam generationem. Inventa ergo fuit planta ante suam commixtionem[27], et oportet, ut sit efficiens et patiens in una hora. Nec inveniantur masculinitas et feminitas conjunctae in aliqua herbarum; et si hoc ita esset, esset[28] planta perfectior animali, quia[29] non indigeret[30] in sua[31] generatione re ex-

---

1 G. II *a cibo*, G. I *a cibo ejus* omiserunt. — 2 *consuitur* Bas., *suitur* G. II. — 3 G. II omisit. — 4 *que tamen* Bas., *quedam tamen* G. II. — 5 *dormitatio* G. II. — 6 *comprehensio*, ut et paulo post, G. II. — 7 *quod maxime et proprie est* Bas., *quod magis et proprie est* G. II. — 8 *id* Bas.; *illud* G. II. — 9 *sunt species* Bas., *sunt sexus* G. II. — 10 *sexus* Bas. — 11 *sicut diximus, quia* Bas. et G. II, *sicut diximus, quod* G. I, ubi tamen manus quaedam posterior supra lineam scripsit *quia*. Equidem ita scripsi, ut I. et Gr. et Lat. R. legisse, et ratio postulare videntur. — 12 *in aliud* Bas., *in aliud quidem* G. II. — 13 G. II omisit. — 14 *quia* G. I. — 15 *istud* Bas. — 16 *illud nominetur* G. II. — 17 *masculus* G. II. — 18 *que erit ea* G. II. — 19 *fructuosa* G. II. — 20 *iste due spec.* Bas., *he due spec.* G. II, *ille spec.* G. I, qui vero post sequens *simul* supra lineam adjecit *ambe*. — 21 *commix* (sic!) Bas. — 22 *hec res ita sit* Bas., *hec tres ita sint* G. II. — 23 *primo* Bas. et G. II. — 24 Bas. omisit *et erit per se*. — 25 G. I omisit. — 26 *est* G. II. — 27 *mixtionem* G. II. — 28 Bas. omisit. — 29 *quia animal* G. II. — 30 *indiguit* Bas. — 31 *sui* Bas. et G. II.

trinseca: et ipsa[1] indiget temporibus[2] anni et sole et temperantia naturali[3] plus omni re. His ergo indiget[4] in hora pullulationis arborum. Estque[5] principium cibi plantarum a terra, et principium generationis fructuum a sole. Et ideo Anaxagoras dixit[6], quod earum frigus[7] est [*vel semina sunt*] ab aëre; et ideo dicit lechineon[8], quod terra mater est plantarum et sol pater. Sed mixtionem masculi vegetabilium et feminae debemus imaginari alio modo, quia semen plantae simile est impraegnationi[9], quae est mixtio masculi et feminae. Et sicut est in uno[10] ovo vis generandi pullum et materia cibi ejus usque ad horam sui complementi et sui exitus[11] ab eo, et femina ponit ovum in una hora: ita et[12] planta. Dixitque bene[13] Abrucalis, quod arbores altae pullos [non] generant, quia res, quae nascitur, non nascitur nisi ex parte[14] seminis, et fit, quod remanet ex eo, in principio cibus radicis[15], et nascens movet se statim. Ergo sic[16] debemus opinari in mixtione[17] masculorum et feminarum plantarum, sicut et animalium[18]. Quae est causa plantarum in dispositione[19] quadam, quia[20] in animali, quando commiscentur[21] sexus, [commiscentur vires sexuum,] postquam erant se-

1 *ipsum* Bas. et G. I, *et planta ipsum* G. II. — 2 *in temporibus* G. II. — 3 Sic Bas.; G. I omisit *naturali*; G. II ejus loco habet *et vere*. Quam lectionem apud I. et Gr. et Lat. R. reperio. Unde patet, cl. Bekkerum perperam pro *καὶ τοῦ ἔαρος* scripsisse *κ. τ. ἀέρος*. — 4 G. I. omisit. — 5 *est quoque* G. I; *est quedam* G. II. — 6 *quia Anaxagoras dicit* Bas., *quia Anax. dixit* G. I, *Anax. dixit*, conjunctione omissa, G. II, *εἶπε δὲ καὶ Ἀναξαγόρας* I. Gr., *sed et Anax. dixit* I. Lat. R., *et ideo dixit Anax.* Albert. — 7 Sic Bas., G. I et Albertus; *earum fructus est ab aëre* G. II. Longe vero aliter, et quidem: *ὅτι ἡ ὑγρότης τούτων ἐστὶν ἀπὸ τῆς γῆς* I. Gr., et *earum humiditatem a terra esse* I. Lat. R. Commutasse videntur Graecorum rescriptores *ὑγρότης* et *ψυχρότης*. — 8 *lechineon* G. I, *lecinio* Bas., lethineo G. II, *Leucineom* Alb., *Lachineo* Jord. pag. 185, *πρὸς Λεχίνεον* I. Gr., *ad Lechineum* I. Lat. R. — 9 G. II addit *impregnationi animalium*, et sic I. Gr. *ἐγκυμονήσει ζώου*, I. Lat. R. *in praegnatione animalium*. — 10 Sic G. I cum Alb.; *in ovo*, omisso *uno*, Bas., G. II, I. Lat. R.; *ἐν τοῖς ᾠοῖς* I. Gr. — 11 *usque at complementum et exitum* G. II. — 12 Bas. omisit. — 13 G. II omisit. — 14 *ex natura* G. II et I. Lat. R., *ἐκ τῆς φύσεως* I. Gr. — 15 *cibi* G. I. — 16 *sic ergo* G. II. — 17 *mixtione*, praepositione omissa G. I; *mixionem*, absque praepositione, Alb. — 18 *plantarum et animalium* G. II, *animalium et plantarum* Bas. — 19 *in plantarum dispositione* G. II. — 20 *et quia* G. II. — 21 *miscentur* Bas.

parati, provenit ex illis ambabus res una; et ita non est in plantis, quando commiscentur sexus, commiscentur vires sexuum [, postquam erant separati[1]]. Et si natura miscuit masculum cum femina, recte processit; et[2] non invenimus aliquam operationem in plantis nisi generationem fructuum; et non est animal separatum nisi in horis, in quibus non coit, et hoc est propter multa opera ejus et multas scientias[3] ejus.

CAP. VII. Sunt autem[4], qui putant, plantam completam et integram esse propter duas vires, quas habet, et propter cibum, qui adaptatus est ad cibandum illam, et longitudinem suae existentiae et temporis sui. Et quando fronduerit et fructificaverit[5], durabit vita ejus, et convertetur[6] ad illam juventus ejus. Et non fiet in ea[7] aliquid superfluum. Et[8] planta non indiget dormitione[9] propter multas causas: quia posita est et plantata in terra et alligata ei, et[10] non habet motum in se, nec terminum[11] terminatum in suis partibus, nec habet sensum, nec motum voluntarium, nec animam perfectam[12], imo non habet nisi[13] partem partis animae. Et planta non est[14] creata[15] nisi propter animal, et animal non est creatum propter plantam. Et si dixerit aliquis[16], quod planta eget cibo vili malo[17], indiget eo multum stabili continuo non interrupto[18]. Et si constaret[19], quod planta habeat meliorationem super animal, oporteret[20], ut res inanimatae sint meliores et[21] nobiliores rebus animatis; et videmus opus animalis nobilius esse et melius quam opus plantae[22];

---

1 Verba quatuor et viginti antecedentia in Bas. et G. I desiderantur nec ab Alberto repetita sunt. Quum vero eadem fere, licet paulo aliter expressa, non solum I. et Gr. et Lat. R. sed ipse quoque Aristoteles exhibeat, ita ea reddidi, ut in G. II leguntur. Emendationes quasdam in annotationibus proponam. — 2 *quia* G. II et I. Lat. R.; ὅτι I. G. — 3 *sententias vel scientias* G. I. — 4 *et sunt* G. I et II. — 5 *frucificaverit et fronduerit* Bas. — 6 *convertitur* G. II. — 7 *eo* G. II. — 8 Bas., copula oppressa, novum abhinc caput incipit. — 9 *fermitione* G. II. — 10 Bas. omisit. — 11 Bas. omisit. — 12 *perfectivam* G. II. — 13 *in se* G. II. — 14 Bas. omisit. — 15 *creanta* (sic!) G. I, *creatura* G. II. — 16 *et aliquis dixeris* Bas., *et si dixeris* G. II. — 17 *vili et malo* G. II. — 18 *continuo incorrupto* G. II., *cum tertio interrupto* Bas. — 19 *constiterit* Bas., *constat* G. II. — 20 *oportet* G. I et II. — 21 Bas. omisit *meliores et.* — 22 Sic Bas., excepto verbo *esse*, quod ex conjectura adjeci. Pro *videmus* scriptum erat *unum*, quod tamen expunctum manus eadem emendavit; *et unum opus*

et invenimus in animali omnes virtutes, quae sunt in planta, et multas alias. Dixitque Abrucalis, quod plantae habent generationem, mundo[1] tamen diminuto et non perfecto in complemento suo; et eo[2] completo generabatur animal[3]. Sed hic sermo est inconveniens, quia mundus totalis[4] est perpetuus sempiternus, nec[5] cessavit unquam generare animalia et plantas et omnes suas species. Et in qualibet[6] specie plantarum est calor[7] et humor naturalis, qui[8] quando consumebantur[9], infirmabitur et veterascet et[10] corrumpetur et arefiet[11]. Et quidam dicunt hoc corruptionem, quidam non.

Cap. VIII [editt. III]. Quaedam arbores habent gummi, ut resinam[12] et gummi amigdali et myrrham[13] et thus et gummi Arabicum[14]. Quaedam arbores nodos habent[15] et venas et ventrem et lignum et corticem et medullam interius, et quaedam secundum plurimum sunt[16] cortex. Et quarundam fructus sub cortice est, scilicet inter corticem et lignum. Et partes arboris simplices sunt[17], ut humor inventus in ea et nodi et venae; et quaedam partes sunt compositae ex his[18], ut rami et virgae[19] et similia[20]. Et haec omnia non inveniuntur in omnibus plantis, quia[21] quaedam habent[22] has partes, quaedam illas[23], quaedam non. Habent[24] quoque plan-

---

anim. nob. est et mel. quam op. plantae G. I; *et opus unum animalis [est omne opus] nobilius est et melius quam omne opus plante* G. II. Sed quis non verba inclusa glossam esse videt? Ultimum vero *omne* ab eodem glossatore intrusum esse suspicor.

1 *mdo* G. I, *mudo* Bas., *m* G. II, unde patet, Bas. inter utramque lectionem, sive *modo* sive *mundo* scribendum esset, ambigere. — 2 *mundo* G. II. — 3 *anima* G. I, *οὐ γεννᾶται ζῶον* I. Gr., *animal non generabitur* I. L. R., quam negationem prorsus ineptam ullus neque Nicolai neque Alberti cod. ms. exhibet. Recte igitur cl. Karsten ad Empedoclem pag. 422 pro *οὐ* legere *αὖ* proposuit. — 4 *talis* G. II. — 5 *quia non* G. I. — 6 *in omni* G. II. — 7 *color* Bas. — 8 *que* Bas. et G. I. — 9 *consumabantur* G. II, *consumabntur* Bas. et G. I, quod *consumabuntur* legerem, dummodo constaret, medio aevo pro *consumere* etiam *consumare* in usu fuisse. — 10 Bas. omisit. — 11 *et aer* G. II, omisso *fiet.* — 12 *resina* Bas. — 13 *et mirrham* G. I. omisit. — 14 *et thus et thymiama* I. Lat. R.; *ὡς θυμίαμα καὶ ὡς κόμι Ἀραβικὸν* I. Gr. — 15 G. II omisit. — 16 *sicut* Bas. — 17 Bas. et G. I omiserunt, hic vero post *humor* addidit *est.* — 18 *ex his* Bas. omisit. — 19 *ungues* G. II. — 20 sic Bas., G. I. et Alb.; *folia* G. I et Int. Lat. R., *φύλλα* I. Gr. — 21 Bas. omisit. — 22 Bas. omisit. — 23 *quedam illas* nonnisi Bas. legit, sed etiam I. Gr. et Lat. R. ita legisse videntur. — 24 *quia*

tae alias partes, ut radices, virgas, folia, ramos, flores, pullulationes[1], rotunditatem[2], et corticem, qui circumdat fructum.

Cap. IX. Et sicut sunt[3] in animali similium partium membra, ita et in plantis, et quaelibet partium[4] plantae[5] compositae sunt membris aliis; quia cortex plantae[6] similis est cuti[7] animalis, et radix plantae[8] similis est ori animalis[9], nodi quoque illius[10] similes sunt musculis[11] animalis, et similiter reliqua[12], quae sunt in ea. Et quaelibet harum partium dividuntur[13] aliquo modo per partes consimiles, et dividitur etiam per partes dissimiles[14], quasi[15] lutum uno[16] modo per[17] terram tantum, et alio modo per aquam; pulmo quoque et caro dividuntur, et sunt partes earum carnes, et alio modo dividuntur per elementa seu radices. Et non dividitur manus ad[18] aliam manum, nec radix ad aliam radicem, nec folia ad alia folia; sed in his, radicibus et foliis est compositio...... Sed fructuum quidam sunt compositi ex partibus paucis, et quidam ex partibus multis, ut olivae; illae enim habent corticem et carnem et testam et semen. Et fructuum quidam habent tres[19] cooperturas[20]. Omnia semina sunt ex duobus corporibus[21]. Et plantarum partes sunt illae, quas diximus. Et summa quidem[22] sermonis est: determinare partes plantae et cooperturas[23] ejus et diversitates ejus est valde difficile, et praecipue terminare essentiam ejus, et colorem, et tempus durabilitatis ejus, et impressiones, quae ei eveniunt[24]. Et non habent plantae mores animae, nec effectum aequalem effectui animalis; et[25] si proportionaveri-

---

quedam non habent has partes et quedam habent G. II, truncato versu sequente. *Debent* pro *habent* Bas.

1 G. II addit *plantationem*. — 2 *βλαςτοὺς* I. G., *germina* I. Lat. R. — 3 Bas. omisit. — 4 *et partium* Bas. — 5 G. II omisit. — 6 Bas. omisit. — 7 *cum cute* Bas. — 8 *carte* (sic!) Bas. — 9 G. II addit *naturaliter*. — 10 G. II omisit. — 11 *nodis* Bas. — 12 G. II omisit. — 13 *dividitur* Bas., et hoc loco et paulo infra. — 14 *et quelibet harum partium dividuntur autem in partes dissimiles*, intermediis omissis, G. II. — 15 *quia* Bas. G. I et II, *sicut* Alb., *veluti scilicet* I. Lat. R. Scripsi *quasi* propter elementorum vocabuli similitudinem cum *quia*. — 16 G. II omisit. — 17 *in* Bas. — 18 sic Bas. et G. I; *per*, et quidem ter, G. II. — 19 G. I. omisit. — 20 *repertivas* G. II. — 21 sic G. I et Alb.; *corticibus* Bas., G. II et I. Lat. R. cum Gr. — 22 G. I. *quidem* ponit post *sermonis est*, G. II post *diversitates ejus*. — 23 *reperturas* G. II. — 24 *conveniunt* Bas. — 25 *set* G. I,

mus partes animalis cum partibus plantae, prolongabitur noster sermo, et fortasse[1] non evademus a magnis diversitatibus[2] in nominando partes plantarum[3]. Quia pars rei[4] est de suo genere et de sua substantia propria, et quando generabitur, remanebit in sua[5] dispositione species[6], nisi aliqua chronica[7] infirmitate a sua dispositione recederit[8]. Et flores et fructus et folia plantarum quandoque[9] omni anno erunt, quaedam[10] vero non sic; nec remanent, ut cortex et corpus[11], cadens a re[12] abjiciente ipsum propter causam[13].... Et non est istud[14] in planta, quia multotiens cadunt de planta partes multae non determinatae, sicut pili hominis[15] et ungues in animali[16]; et nascuntur pro eis aliae partes[17] vel in loco, in quo fuerunt, vel extra[18] in alio. Et[19] jam certum est, quod partes plantae non sunt determinatae, sive sint partes plantae, sive non. Et turpe est nobis dicere, res, cum quibus crescit [animal] et completur cum eis, non esse[20] partes ejus; sed folia et omnia, quae sunt[21] in eis[22], sunt partes ejus, licet non sint determinatae et paulatim decidant[23], quoniam cornua cervi[24], et capilli quorundam[25] animalium et pili[26] quorundam de eis[27], quae se abscondunt in tempore hyemali in caveis[28] et sub terra, cadunt, et illud est[29] simile casui foliorum.

Cap. X. Debemus ergo loqui de rebus, quae[30] prius nominavimus, et incipiamus[31] nominare partes proprias et

---

1 *forte* Bas. — 2 *sive difficultatibus* addit G. II. — 3 G. II omisit. — 4 *utique* G. II. — 5 *illa* Bas., *in sua propria* G. II. — 6 G. II omisit. — 7 *corrupta* G. II. — 8 *recederit dispositiones* G. II. — 9 *quandoque quedam* Bas. — 10 *quidam* G. II. — 11 *ut corpus* Bas., omissis *cortex et*. — 12 *cadens aere* Bas. — 13 Mirus est, si pauca cxcipias, et codicum mss. et interpretum consensus in loco tam depravato. Int. Lat. R. dedit: *nec remanent, ut cortex et corpus, a re abjiciente ipsum ob aliquam causam decidens*; ad amussim eadem I. Gr. Neque Albertus ullam emendationem suppeditat. — 14 *illud* Bas., *aliud remanens* G. II. Ex quibus I. Lat. R. una cum Gr. fecit *haec in planta non remanent.* Alb. vero cum Bas. et G. I convenit. — 15 Bas. omisit. — 16 G. I et II omiserunt *in animali.* — 17 *pro eis partes animalis* G. I. — 18 *quasi* G. II. — 19 *ut* Bas. — 20 *erunt* G. II. — 21 Bas. omisit. — 22 *in illo* G. I, *in illa* G. II. — 23 *et licet paulatim et desidant* (sic!) G. II. — 24 *crines* G. I. — 25 *et quorundum* Bas. — 26 *parvi* G. II. — 27 *de his* G. I, *animalium de his* G. II. — 28 *cavernis* G. II. — 29 Bas. omisit. — 30 *quam* Bas. — 31 *incipiemus* Bas.

communes et[1] earum diversitates. Dicamus ergo, quod partibus plantae inest magna diversitas in[2] multitudine et paucitate, et magnitudine et parvitate, et in fortitudine et debilitate. Et hoc est, quia[3] humor, qui est[4] in magnis arboribus, in[5] quibusdam est ut lac, ut[6] in ficubus, et in quibusdam similis est pici [*ut in abiete, et in quibusdam est aquosus,*] ut humor, qui est in vite, et in quibusdam est origanalis[7], ut qui est in origano[8] et in planta, quae dicitur opigaidum[9]. Item est planta quae habet partes siccas[10]; et est, quae habet partes terminatas nec similes nec aequales, et quaedam habent partes similes ad invicem, et quaedam habent aequales nec similes[11], et non est locus ejus in situ. Diversitas autem plantae in suis partibus cognita est[12], et figurae ejus et coloris[13] et raritatis et spissitudinis et asperitatis et laevitatis; et omnia, quae accidunt ei[14] in diversitatibus [*saporum*] inaequalitate et augmento numeri[15] et ejus detrimento, et magnitudine et parvitate. Et quaedam non erit unius modi, sed habebit[16] diversitates multas, ut praediximus.

Cap. XI [editt. IV]. Et plantarum quaedam producunt[17] fructum super folia sua, quaedam sub foliis[18], et quarundam[19] fructus suspensus est a stipite suo, et quarundam a radice, ut arbores Aegyptiae, quae dicuntur vargariaton[20], et qua-

---

1 G. II omisit. — 2 *et* G. II. — 3 *quod* G. I et II. — 4 *quia et* Bas. — 5 *et in* G. I. — 6 Bas. omisit; *ut est* G. II. — 7 *originalis* Bas., G. II et Int. Lat. R., *ἀρχέγονος* I. Gr., *originalis, verius tamen origanalis* Alb., quam veriorem lectionem solus tenuit G. I. — 8 *organo* G. II. — 9 sic G. I; *ὀπιγαῖς* I. Gr., *quam opigaida dicunt* I. Lat. R., *opigaldum* Bas., *epigader* G. II, *epygadrium* Alb. — 10 I. Gr. et Lat. R. addunt *alia, quae humidas.* — 11 Totum locum post *opigaidum* Bas. valde mutilatum dat: *item est planta, que habet partes terminatas, et que habet partes similes ad invicem, et que habet partes nec similes nec equales, et quedam habet partes equales non similes.* — 12 *diversitates ... cognite sunt* G. II. — 13 *colore*, sequentibus pluribus ablativis G. II. — 14 *eis* G. II; omisit G. I, et post *diversitatibus* inseruit *ejus; omnia accidunt ei*, omisso *quae*, Bas. — 15 *augmento naturali* G. II cum I. et Gr. et Lat. R. — 16 *istius modi s. h.* Bas.; *non erunt hujusmodi, set habebunt* G. II. — 17 *produnt* G. II. — 18 *quidam super filiis* G. II. — 19 *quorum*, tam hic quam paulo post, G. II. — 20 Sic. G. I; *varcariariceo* Bas.; *margarita* G. II, quocum I. Gr. et Lat. R. conveniunt. Nec minor lectionis varietas apud Albertum, cujus Cod. Basil., isque optimus, *nagavariton*, Cod. Argent.

rundam fructus in medio earum. Et quarundam folia et nodi[1] indiscreti sunt[2]; et quarundam sunt folia aequalia et ad invicem similia; et quaedam habent ramos aequales earum quae habent ramos. Et sunt partes[3], quas nominabimus, omnium plantarum, et sunt crescentes et addentes, hoc est radix et virgae et stipites et rami plantarum[4]; et ista assimilantur membris[5] animalium[6], quae continent[7] omnia membra[8]. Et radix plantae mediatrix est inter plantam et cibum, et ideo vocant eam Graeci radicem et causam vitae plantarum, quia ipsa causam vitae plantis adducit. Sed stipes plantae est, quae sola nascitur a terra[9], et est sicut statura erectionis[10]. Surculi vero sunt, quae a radice arboris pullulant; sed rami sunt, qui nascuntur supra surculos. Et non inveniuntur in omnibus plantis; et plantarum ramos habentium quidam [*sc. rami*] sunt non sempiterni[11], imo sunt[12] anno post annum. Et plantae sunt[13] non habentes[14] ramos nec folia, ut fungi et tuberes[15]. Et[16] rami non[17] nascuntur nisi in arboribus. Et cortices et lignum et medulla arboris[18] nascuntur ab[19] humore; et quidam vocant hanc medullam arboris matricem, et quidam vocant[20] eam viscera[21] arboris, et quidam cor. Et nodi et venae et caro totius plantae ex quatuor sunt elementis. Et multotiens[22] inveniuntur partes, quae aptae sunt ad generandum, ut folia et flores[23] et parvae virgae, quae sunt flores[24] praeter plantam; eodem modo et fructus et rami in planta, et [quae[25]] nascuntur ex semine, et[26] quod circumdat illud.

Cap. XII. Plantarum quaedam sunt arbores, quaedam

---

margavaricon, editio utraque *nargavariton* praebent.

1 *fructus folia et modi* G. II. — 2 Bas. et hic et sequente versu omisit. — 3 *ramos equales. Earum que sunt partes, habent ramos* etc. Bas. — 4 *plantarum et rami* Bas. et G. II. — 5 *viriliter* G. II. — 6 Bas. omisit *membris animalium.* — 7 *continere* Bas. — 8 *animalium* G. I. — 9 *in terra* G. II. — 10 sic Albert.; *similis stature arboris* Bas. G. I et II; *similis stature hominis* I. Lat. R. cum Gr. — 11 *quaedam sunt non sempiterne* G. I, *quedam sunt non sempiterno* G. II. Int. et Gr. et Lat. R. haec verba cum G. I et II ad plantam ipsam referunt; Alb. rectius cum Bas. ad ramos. — 12 Bas. omisit. — 13 Bas. omisit. — 14 *ponentes* G. II. — 15 *ut tribueres et fungi* G. II. — 16 Bas. omisit. — 17 *rami qui non* G. II. — 18 G. I. omisit. — 19 *ex* G. I. — 20 G. II omisit. — 21 *vitam* G. I. — 22 *multe* G. II. — 23 *ut folia floris* Bas. — 24 *quae sicut flores sunt* Alb. — 25 *rami et planta que* Bas. — 26 Bas. omisit.

inter arbores et herbas, nominanturque illae ambrachion[1], et quaedam sunt herbae et quaedam sunt olera. Et fere omnis planta sub his cadit nominibus. Et arbor est, quae habet ex sua radice[2] stipitem, et nascuntur in eo multi rami, et olivae et fici[3]. Sed planta, quae est inter arbores et herbas minutas, quae dicitur ambrachion[4], habet in radicibus suis multos ramos, ut[5] id quod dicitur[6] magnus[7] cannae et rubus[8]. Sed olera sunt, quae multos stipites habent ex una radice et multos ramos, ut ruta et caulis[9]. Sunt autem herbae[10], quae non habent stipitem, sed folia ex sua radice; et quaedam omni anno nascuntur et arescunt, ut triticum et olera[11]. Et non possumus haec omnia nisi per[12] syllogismos[13] et exempla et descriptiones manifestare[14]. Et quaedam herbae ad duas extremitates declinant, ut olus, quod dicitur olus regium[15], quia[16] est herba et olus, et similiter acelga[17]. Et quaedam nascuntur in primis in figura granorum plantae, et postea fit arbor, ut vovet[18] et fingekest[19] [i. e. pentaphyllon[20]], et planta, quae dicitur bacca[21] caprarum; et forte myrtus quoque et malus et pirus sub hoc genere continentur, quia harum[22] omnium multi et superflui sunt stipites[23] de

1 Sic G. I et II, *ambrechion* Bas., *ambragyon* Alb., *frutices* I. Lat. R., *θάμνοι* I. G. — 2 *parte* G. II. — 3 *fisci* G. I. — 4 Sic hoc loco Bas., *ambrachinon* G. II, *mandragion* G. I; reliqui ita ut antea. — 5 *et* Bas. — 6 G. I omisit. — 7 sic G. I et Alb. bis capite eodem, ulla neque codicum neque editionum lectionis varietate; *in genereis* Bas., *in granis* vel *in genericis* G. II (de lectione dubito); *ὡς τὰ καλούμενα ἄγνοι* I. G.; *ut quae dicuntur virgulta* I. Lat. R. — 8 sic G. II; *canne rubo* Bas.; *canna rubus* G. I, et sic etiam Albertus legisse videtur, cui *magnus*, *canna* et *rubus* tres sunt arbusti generis species. I. et Gr. et Lat. R. *cannam* plane omisere. — 9 *ruta et caulus* Bas., *ruta caulus* G. I. — 10 Bas. omisit. — 11 *triticum olera* Bas., *ut sunt olera*, quibus supra lineam addita sunt *et triticum*, G. I. — 12 *propter* G. I et II. — 13 *singulas* Bas. — 14 Bas. et G. II omiserunt. — 15 *regum* Bas. et G. II. — 16 *quod* Bas. — 17 Sic Bas. et Alb.; *ascelga*, litera tamen *s* supra lineam posita G. I; G. II, relicta lacuna omisit; I. Gr. et Lat. R. plane neglexerunt. — 18 Sic Alb., excepto ejus cod. Argent., qui *venet*; *vestiet* G. I, *vecciet* Bas., *ventilli* G. II, *Ἀραβικοὶ βέντελοι* I. Gr., *benteli Arabicae* I. Lat. R. — 19 *feyelket* Bas., *ferceyem* G. I, *fenyelli elli* G. II, *fingelzest* Alb. cod. Basil., *finglikest* (si recte legi) Ejusd. cod. Argent., *singekest* Ejusd. editt., *helioscopion* I. et Gr. et Lat. R. — 20 *pentafilon* Bas. et G. II, *quod quidam pentafolon vocant* Alb. cod. Argent., ubi tamen Ejusd. cod. Basil. *petrosilon*, Ejusd. edd. *petrosillon* legunt. G. I et I. tam Gr. quam Lat. R. omiserunt. — 21 *bucca* G. II. — 22 *horum* vulgo. — 23 *rami* G. II; Bas. omisit.

radicibus earum[1]. Et ideo[2] oportet determinare eas, ut sint[3] in exemplum et syllogismum[4], et non debemus perscrutari omnium definitiones.

CAP. XIII. Plantarum quaedam est[5] domestica, quaedam hortensis, quaedam silvestris, et eodem modo animalia[6]. Puto quoque, quod[7] omnes species plantae, quae non[8] fuerint cultae, silvestrescunt. Plantarum quoque quaedam faciunt fructum, et quaedam non; et quaedam faciunt florem[9], et quaedam non; et quaedam faciunt folia et quaedam non; quibusdam folia cadunt, quibusdam non[10]. Et diversitas plantarum in magnitudine et parvitate, et pulcritudine et deformitate[11], et in bonitate fructuum et in malicia est multa. Et arbores silvestres magis fructificant quam hortenses, sed fructus hortensium meliores sunt[12], quam silvestrium. Et quaedam plantarum[13] nascuntur in locis siccis[14], et quaedam in maribus, quaedam in fluminibus. Et quae[15] nascuntur in mari rubro, erunt[16] illic magnae, et in aliis locis parvae[17]. Et[18] quaedam plantarum nascuntur[19] in ripis fluminum, et quaedam in stagnis. Sed plantarum, quae nascuntur in locis siccis, quaedam nascuntur in montibus, quaedam in planitie, et quaedam nascuntur et vivunt in locis aridissimis, ut[20] in terra[21] Aethiopum, quae dicitur Ziara[22], et ibi melius procreantur quam alibi. Et[23] quaedam vivunt[24] in locis altis, et quaedam in humido loco, et quaedam in arido, et quaedam vivunt in utroque[25], ut salix et atharafa[26]. Et planta multum permutatur secun-

1 *eorum* Bas. et G. II. — 2 *et non* Bas. — 3 *sunt* G. II. — 4 *in exemplum similium* Bas. — 5 *sunt* G. I. — 6 *alium* Bas. — 7 G. II omisit. — 8 *quoniam* G. II. — 9 Vulgo *oleum*; sed cf. adnotat. — 10 Post haec solus G. II addit; *quibusdam rami fiunt, quibusdam non.* — 11 *fortitudine* Bas. — 12 *melior est* G. I. — 13 *et fructus plantarum quarundam sunt, que* Bas. — 14 solus Bas. addit: *quedam nascuntur in montibus.* — 15 *quedam* Bas. — 16 *erunt ergo* Bas. — 17 *et parve aliis* G. II. — 18 *quia* G. I. — 19 G. II omisit. — 20 *et* Bas. — 21 *terris* G. II. — 22 Sic Bas. et G. I; *thithara* G. II, *zara* codd. Pariss., auctore Jordano; *zahdia* Alberti et editt. et cod. Basil. et codd. Pariss., auctore Jordano (pag. 301 edit. German.); *cyadia* Ejusd. cod. Argent. Interpres et Gr. et Lat. R. hujus terrae nomen omiserunt. — 23 *quia* G. I. — 24 *virent* G. II. — 25 *quedam in humidis, quedam in aridis, et quedam utroque,* Bas. — 26 Sic Bas. cum Alberti codd. et Basil. et Argent.; *atarafa* Ejusd. editt., *artharafa* G. I et II.

dum[1] diversitatem locorum, et ideo oportuit considerare diversitates eorum. [Editt. cap. V.]. Et planta terrae affixa non[2] separatur ab ea. Quidam quoque loci meliores sunt quibusdam. Similiter[3] fructuum quidam meliores sunt[4] in uno loco quam in alio. Et quarundam plantarum[5] folia sunt aspera, et quarundam laevia; quarundam quoque parva sunt folia, quarundam scissa, ut folia vitis. Et quaedam[6] habent unum corticem, ut ficus[7], quaedam multos, ut pineae[8], quaedam vero plantae sunt totae cortex, ut mediannus[9]. Et quaedam habent nodos, ut canne[10], et quaedam spinas, ut alaz[, et i. e. rhamnus[11]]. Et quaedam carent ramis, et quaedam habent ramos multos, ut morus silvestris[12]. Et quaedam habent diversitates multas, ut sunt, ex quibus[13] prodeunt surculi[14], et ex aliis non; et non erit[15] hoc, nisi[16] ex diversitate radicum. Et quaedam habent tantum unam radicem, ut squilla[17], quia[18] illa nascitur[19] in solo ramo[20], proceditque solum[21] inferius dilatando se, et quanto[22] magis creverit solique accesserit, augebitur, quia sol circulos[23] elicit.

Cap. XIV. Succorum, qui fructibus insunt, quidam sunt potabiles, ut succus uvarum, malorum granatorum, mororum et myrti; quidam vero unctuosi, ut succus olivae et nucis pineae; quidam dulces mellares, ut dactyli et ficus; quidam

---

1 *propter* G. II. — 2 *affixa, que non* G. I. — 3 *quedam vero loci meliores sunt, et in quibusdam similiter* Bas. — 4 *pp* (quod *propter* significare solet) G. I. — 5 Bas. omisit. — 6 *quidam* G. I, *quarundam* G. II. — 7 *pineus* Bas. — 8 *pinea* G. II, *punei* Bas., *pinus et totum genus abietis* Alb. — 9 sic G. I; *medianus* Bas. et I. Lat. R.; *ut sunt iste per dimidium annum durantes, propter quod et mediannes dicuntur,* Alb.; *sunt tote cortex medua* G. II, *εἰσιν ὅλως φλοιὸς μεσιτεύων* I. Gr. — 10 *scanne* Bas., *cauci* G. II. — 11 *ut ramnus, qui alaz Arabice dicitur,* Alb.; *ut alacer, et i. rampnus,* Bas.; *ut alanar, i. rampnus* G. II; *ut allatum et rampnus* G. I, ubi tamen ex voce *rampnus*, expunctis literis *pn*, factum est *ramus*; *ἀκάνθας, ὡς αἱ ῥάμνοι*, I. Gr.; *spinas, ut rhamnus*, I. Lat. R. — 12 *et quedam habent ramos, et quedam carent ramis, ut morus silvestris* G. I. — 13 *ut sicut ex quibusdam* Bas.; *sicut ex quibus*, omisso *ut*, G. II. — 14 *prodeunt rimili, i. surculi,* Bas. — 15 G. II omisit. — 16 G. I omisit. — 17 *scrivilla* G. I, *savilla* G. II. — 18 *et quia* G. II. — 19 *nascantur* G. II. — 20 *raro* G. II. Sic etiam I. Lat. R., qui ad sequentia refert *et raro procedit etc.*; *καὶ ἀραιῶς πρόεισιν* I. G. — 21 Bas. omisit. — 22 *proceditque in fetus dilatando, quanto* etc. G. II. — 23 sic solus G. I, reliqui *surculos*.

calidi et acuti, ut origani et sinapis[1], et quidam amari, ut absinthium[2] et centaurea. Fructuum quidam sunt compositi ex carne et osse et grano, ut pruna; quidam ex carne et grano, ut cucumeres, et quidam ex humore et grano, ut mala granata. Et quidam corticem habent exterius[3], et granum interius; et quidam carnem exterius, et granum interius[4]; et quidam, in quibus[5] statim fit semen cum cooperculo, quo operiuntur[6], ut dactyli et amygdali; quidam vero non sic. Sed fructus comestibiles et incomestibiles sunt per accidens, et[7] quosdam fructus quidam comedere possunt, quidam vero non; et quosdam quaedam animalia comedunt, quaedam vero non. Fructuum iterum quidam[8] sunt in siliquis, ut grana; quidam in coopertura[9] sicut[10] tela, ut triticum; quidam in carne, ut dactyli, et quidam in cafta[11], ut belotae [glandes[12]], et quidam in caftis multis, et tela et testa[13], ut nuces. Et quidam cito maturantur, ut mora et cerasa[14], et quidam tarde[15], ut omnes fructus silvestres vel[16] plures eorum. Et plantae quaedam cito folia producunt et fructus, quaedam tarde; et earum quaedam hiemem consequuntur, antequam maturescant. Sed colores fructuum et florum[17] valde sunt diversi. Et plauta[18] quaedam cum totalitate sua est viridis, et quaedam declinat ad nigredinem, quaedam ad albedinem[19], quaedam

---

1 *et organi et synapes* Bas. — 2 *alicium* Bas. — 3 G. I omisit. — 4 *et quidam e converso* Bas. Solus G. I addit *ut pyre*, quod pro glossa habeo. — 5 *in quibusdam* G. I, nec non G. II, qui antecedentia *et quidam* oppressit; *cum quibus* Bas. — 6 *componitur* G. II. — 7 *quia* Bas. — 8 *item fructuum quidam* G. II. — 9 *quidam*, *in quo opertiva*, G. II. — 10 *sit* Bas., *et* G. I et II. Alberti verba sunt: *hoc autem cooperculum in quibusdam est vocatum siliqua, in quibusdam vero est per modum tele*; unde *sicut* legendum esse colligo. — 11 *in cascha*, et paulo post *in tascis*, G. I; *in casia*, postea *in casis*, Bas.; *in cassa*, deinde *in cassis*, G. II. Alberti cod. Bas. bis habet *casca*, Argent. cum editt. *casta*. — 12 sic Bas. et G. I; *bolete et glandes* G. II, *αἱ βάλανοι* I. Gr.; apud I. Lat. R. desiderantur; Alb. vero reddit *ut in glande et castanea*. — 13 *testis* Bas., *testibus* G. II. — 14 *mora cerasa* Bas.; G. I *et cerasa* omisit, quae tamen et Alb. et I. Gr. laudant. I. Lat. R. hic nulla exempla dedit. — 15 *et quidam tarde* Bas. omisit. — 16 *ut* Bas. — 17 sic Albertus. G. I *et florum* omisit; *florum et fructuum* Bas.; *foliorum et fructuum et telarum* G. II; unde I. Lat. R., quocum Gr. convenit: *et fructuum et florum et quae illis innascuntur operimentorum*. — 18 *plante*, cum verbis sequentibus: *sunt virides et declinant* G. II. — 19 Bas. omisit *quaedam ad albedinem*.

ad rubedinem[1]. Sed et[2] figura fructus, si fuerit silvestris est diversorum modorum, quia non omnes fructus sunt angulosi, nec omnes sunt super[3] rectam lineam.

CAP. XV [editt. VI]. Arborum aromaticarum quarundam radix aromatica est, quarundam cortex, quarundam flos[4], quarundam lignum, aliarum vero omnes partes aromaticae, ut balsami.

CAP. XVI. Et quaedam arbores nascuntur plantatae, quaedam ex semine, quaedam vero per se; plantatae[5] siquidem[6] vel a radice evelluntur, vel a stipite, vel a ramis, vel a semine, vel tota transfertur, quaedam vero parum contusae[7]. Quaedam iterum[8] in terra, quaedam in arboribus plantantur, ut insitae. Est quoque[9] melior insitio similium in similia et[10] proportionalia; talia enim optime proveniunt, ut mali in pirum[11], et ficus in ficum, et vitis in vitem. Et quandoque fit insitio[12] in diversis generibus, ut artemisiae[13] in adul silvestre[14], et olivarum in botam[15], et mori in multas arbores[16], arborumque silvestrium in hortenses. Et omnis planta non producit semen simile semini, a quo orta est; quaedam enim melius faciunt, quaedam pejus[17], et a quibusdam malis seminibus bonae[18] arbores proveniunt, ut ex amygdalis[19] amaris et granatis[20]. Quarundam item[21] semen, cum debiles fuerint[22], deficit, ut pinus et palmae; et non

1 G. II addit *propter calorem inflammantem aërem admixtum cum terrico*. Quae pro glossa habeo, licet I. et Gr. et Lat. R. fere eadem dederint. — 2 Bas. et G. II omiserunt. — 3 *per* G. II. — 4 Bas. omisit *quarundam flos*. — 5 *plante* Bas. — 6 *siquid* Bas. — 7 G. I omisit; *commisse* G. II, *concise* Alb. legisse videtur, quippe qui interpretatus est: *et scinduntur inferius*. I. et Gr. et Lat. R. totum versum neglexerunt. — 8 *item* Bas., *non* G. II. — 9 *et quia* G. II. — 10 G. I et II omiserunt. — 11 *pirura* G. I, *mala in pirum* G. II, *in mali pirum* Bas. — 12 *quoniam fit incisio* G. II. — 13 *artemesie* G. I, *arthemele* G. II, *marchemesie* Bas. — 14 *silvestri* G. I, *silvestris* Bas., *in advulsum silvestre* G. II, *in absinthium* Alb., *in artemisiam silvestrem* I. Lat. R., quocum I. G. consentit. — 15 sic Bas.; *in betam* G. I et II, *in morum* Alb., *in oleastrum* I. Lat. R. cum I. Gr. — 16 *species* Bas. — 17 *quaedam pejus* neque Bas. neque G. I habent, quare suspecta sunt. Leguntur tamen, praeter G. I, et Intt. et Gr. et Lat. R., etiam apud Alb. — 18 *bonis* Bas. — 19 *ut ab amigdalis* Bas., *ut amigdalus* G. II. — 20 *et malus granatis* G. II, *et granatis accidit* Bas. — 21 *autem* G. II, *enim* G. I. — 22 *fiant* G. II.

provenit de facili ex semine malo planta bona, nec[1] ex bono semine arbor mala[2]. Ceterum in animali multociens haec contingunt.

Cap. XVII. Arbor quoque durum corticem habens, sterilis effecta[3], si findatur[4] radix ejus, et scissurae[5] illi lapis immittatur[6], rursus fiet fructifera[7]. In palmis quoque si folia vel pulvis foliorum vel cortex masculae palmae foliis femineae palmae apponantur, ut cohaereant[8], cito maturabuntur[9] fructus ejus, prohibebitque[10] casum eorum. Discernitur quidem[11] masculus a femina, quia prius pullulat, foliaque ejus parva sunt, et per[12] odorem; ex quibusdam horum[13] vel omnibus. Contingetque forte[14], quod ventus deferet[15] odorem masculi ad feminam, maturabunturque[16] dactyli ejus; simulque[17] cohaerebunt, quando folia masculi inter[18] illa fuerint apprehensa[19]. Ficus quoque silvestres in terram[20] expansae conferunt ficubus hortensibus. Balaustia similiter conferunt olivis, cum simul plantantur. [Editt. cap. VII.] Item[21] plantarum quaedam transmutantur in aliam speciem[22], ut nux, cum inveterata fuerit. Dicitur quoque, quod[23] calamentum transmutatur in mentam[24]. Terugenaque[25] abscissa et plantata secus mare viride fortasse[26] fiet[27] sesebram[28]. Triticum quoque et linum transmutantur in seilam[29]. Belenum[30] quoque perniciosum natum in Persia transmutatur, et[31] trans-

---

1 G. I omisit. — 2 Bas. totius versus loco habet *nec e converso*. — 3 *effecta est* G. II. — 4 *nudatur* G. II. — 5 *fixure* Bas. — 6 *apponatur* G. II. — 7 *fertilis* G. II, *non sterilis* Bas. — 8 sic Bas. cum Alb.; *coeant* G. I et II. — 9 *maturabitur* Bas. — 10 *prohibebuntque* Bas. — 11 *discernitque* G. II, *dicet vero quod* Bas., ex quibus manus recentior fecit *differt utique*. — 12 Bas. omisit. — 13 *harum* G. II. — 14 G. I omisit. — 15 *defert* G. I, *forte*, *quod per* G. II, omissis reliquis. — 16 *maturabuntque* G. I et II. — 17 *similiterque* G. II. — 18 sic Alb.; *in illa* Bas., G. I et II. — 19 *appensa* Bas. et G. II, *suspensa* I. Lat. R. — 20 *terra* Bas. — 21 *et* G. I. — 22 *aliam alterius speciei* Bas. — 23 G. II omisit. — 24 *quod calamentur in mentra* (sic!) G. I. — 25 *terugaque* G. I; *turregeneque* Bas., *terrugenaque* G. II, *turego* [Basil., *citrego* Argent., *citrigo* Editt.], *quae planta est, quam quidam terugam vocant*, Alb.; *tragium* I. Gr. et Lat. R. — 26 G. I omisit; *forte* Bas. — 27 *fiat* G. II. — 28 *soesebram* Bas., *in schelapram* G. I, *cellebra* G. II, *sesebra* Alb., *sisymbrium* Intt. et Gr. et Lat. R. — 29 sic Bas.; *sialam* G. I., *sodera* G. II, *aliam speciem* I. Lat. R., *triticum in siliginem et linum in linariam* Alb. — 30 sic Alberti cod. Basil. et editt.; *bolenum* Ejusd. cod. Argent., *balanum* Bas., *bolesi* G. II, *ebenum* G. I, *beleninum* I. Lat. R., *βελένιον* I. Gr. — 31 *transmutatur et* Bas. et G. II. omiserunt.

plantatum in Aegyptum et in Syriam[1] factum est comestibile[2]. Amygdalae quoque et mala granata mutantur a malitia sua per culturam. Sed mala granata[3], stercore porcino fimata[4], et aqua dulci frigida[5] rigata, meliorantur. Sed amygdali quoque clavis confixae gummi[6] per multum tempus emittunt. Multaeque plantae silvestres per hoc artificium[7] fiunt hortenses. Locus vero et labor huic rei conferunt[8], et maxime tempus anni, in quo plantatur[9]. Plantarum quoque quaedam indigent plantatore, quaedam non. Plantantur[10] quoque plurimae[11] in vere, paucae in hieme et autumno, paucissimae in aestate post ortum stellae caniculae; in paucis enim locis fit plantatio hoc tempore, et nusquam fit nisi[12] in Coruma[13] hoc tempore[14]. Sed in Aegypto non fit[15] plantatio nisi semel in anno.

CAP. XVIII. Quaedam arbores ex suis radicibus folia producunt, quaedam ex suis gemmis[16], quaedam ex suo ligno, quaedam ubique[17]; quaedam prope terram, quaedam longe [a terra[18]], quaedam medio; quaedam quoque[19] diversis temporibus folia pauca. Et quaedam[20] in anno semel fructificant, quaedam pluries, et non maturantur fructus earum[21], sed[22] remanent crudi; et quaedam multum fertiles[23] sunt per multa tempora[24], ut ficus; et quaedam uno anno fructificant, altero

---

1 *in brm* G. I; *arm* G. II; *in flum* Bas. *Jerusalem* Alb. et Jordanus pag. 184 ed. Germ., omissa praepositione *in*. Int. et Gr. et L. R. *Palaestinam*. — 2 Jordanus l. c. totum locum, sed an ad verbum nescio, sic dedit: *Belinum in Perside pernitiosissimum, sed transplantatum Jerusalem et Aegyptum fit comestibile.* — 3 verba sex antecedentia Bas. omisit. — 4 *infimata* G. II. — 5 G. I. omisit. — 6 *grana* G. I. — 7 *artifici non* G. II. — 8 *huic, dei cum siverint*, G. II. – 9 *plantantur* G. II. — 10 *plantarum* G. I; *plantatur* Bas. — 11 *plures* G. II; *quaedam* Bas. — 12 G. I omisit. — 13 sic G. I; *in coruna* Bas., *in paucis locis ... sicut est locus, qui vocator coronia* [Basil., *coronya* Argent., *coronyam* editt.] Alb., *in vico roma* G. II, *ὡς ἐν τῇ Ῥώμῃ* I. Gr., *nusquam nisi Romae* I. Lat. R. — 14 *licet temper* G. I, *hac hora* Bas., *hac ora* G. II, *et perraro eo tempore* I. Lat. R., *in tempore dicto* Alb. — 15 G. II omisit. — 16 Bas. addit *vel gummis*. — 17 G. II omisit *quaedam ubique*. — 18 *a terra* Alb. aut solus legit, aut addidit. — 19 *vero* Bas. — 20 *quedam quoque* G. II. — 21 *ejus* G. I; omisit G. II. — 22 *si* G. II. — 23 *steriles* G. I. cum Alb. — 24 *multum tempus* Bas.

reficiuntur, ut olivae[1], licet[2] multos ramos producant[3], quibus cooperiuntur. Quaedam in juventute fertiliores sunt quam in senectute[4]; quaedam e contro melius fructificant [*in senectute*], ut amygdali, piri et ilex[5]. Diversitas quoque plantarum silvestrium et hortensium discernitur per masculos suos et feminas, quoniam quamlibet earum cognoscunt[6] per[7] proprietatem inventam in eis, quia masculus spissior, durior, ramosior, minus[8] humorosus, fructus brevior[9], minus maturabilis[10], folia diversa, et similiter surculi.

Cap. XIX. Oportet ergo, quando consideraverimus[11] haec, conjecturas[12] facere, ut cognoscamus arbores per se et genera per se[13], et similiter in herbis minutis. Et consideremus, quae[14] dixerunt in his antiqui, et inspiciamus libros eorum de his scriptos[15]. Et nos[16] poterimus[17] perscrutari eorum medullam[18] perscrutatione compendiosa. Et est, quod considerabimus[19] herbas oleares[20], et herbas semina facientes, et plantas vinales, et plantas medicinales, et plantas interficientes. Et haec omnia nota sunt de arboribus et plantis. Sed ad sciendum causas earum, debemus inquirere generationem[21] earum, quare quaedam earum nascuntur in[22] quibusdam locis, et in quibusdam non, et in quibusdam temporibus, et in quibusdam non; et plantationes earum, et radices earum, et diversitatem succorum et odorum et lactis et gummi, et bonitatem et maliciam singulorum, et durationem quorundam fructuum, et quorundam non, quare[23] quidam[24] cito putrefiant, quidam tardius. Et inquiramus proprietates[25] omnium plantarum, et

1 *quedam uno anno fructificant, quedam pluries, quedam uno anno reficiuntur, altero fructificant, ut olive.* Bas. — 2 *set* G. II, *que licet* Bas. — 3 *producunt* G. II. — 4 sic Bas. cum I. Lat. R.; *in juventute steriles, fertiles sunt in senectute* G. I, *in juvent. steriliores sunt q. in senect.* G. II cum Alb. et I. Gr. — 5 *αἴγειροι* I. Gr., *populi* I. Lat. R. — 6 *quando quelibet earum cognoveris* Bas., *quando quamlibet earum cognoverit* G. II. — 7 G. II omisit — 8 G. II omisit. — 9 Bas. omisit *fructus brevior.* — 10 *magis maturabilis* G. I, *minus humorosus maturabilis* G. II. — 11 *consideramus* G. I, *consideremus* G. II. — 12 *conjecturam* G. II. — 13 *et grana*, omisso sequente *per se*, G. I. — 14 *quid* G. II. — 15 *de his scientiis* Bas. — 16 *non* Bas. — 17 *possumus* G. II. — 18 *medullas* Bas. — 19 *consideramus* G. II. — 20 *olentes* G. I. — 21 *cognitionem* Bas. — 22 *et in* G. I., *quare queritur quidam nascantur in* etc. G. II. — 23 *quorum* Bas. et G. II. — 24 *quedam* G. I et II, et sic postinde etiam Bas. — 25 *proprietatem* G. I et II.

maxime radicum; et quare[1] quidam fructus mollefiunt[2], quidam non; et quare quidam ventrem[3] provocant, quidam somnum[4], quidam interficiunt[5]; et multas alias diversitates[6] [quare quarundam fructus faciunt lac, quarundam non].

LIBER II.

Cap. I. Planta tres habet vires, primam ex genere terrae, secundam ex genere aquae, tertiam ex genere ignis. A terra enim[1] fixio est plantae, ab aqua coagulatio, ab igne coadunatio fixionis plantae. Videmusque[2] multa ex his in fictilibus. Sunt enim in his tria: lutum, quod est quasi[3] cementum fictilis[4]; secunda est aqua, quae est[5], qua[6] uniuntur fictilia; tertium ignis, qui congregat partes illius[7], donec per ipsum compleatur generatio ejus. Apparitio[8] igitur totius conjunctionis[9] ab igne est[10], quia[11] raritas inest fictilibus secundum partes suas; et quando usserit illas ignis, firmetur materia humoris, et cohaerebunt partes luti. Provenietque siccitas loco humoris propter victoriam et digestionem in omni animali[12] et planta et minera[13]. Digestio enim est, ubi humor est et calor, quando terminum consequuntur; eritque[14] in digestione lapidis[15] et minerarum. In animali vero et planta non sic, quia partes eorum[16] non sunt compactae, unde[17] ab eis fluxus venit. Sed in mineris non est fluxus nec sudor, quia partes earum non sunt rarae, et ideo nihil ab ipsis praeter ipsa egreditur, ut ab animali et planta superflua quaedam. Nec fit exitus, nisi ex raritate[18]; in quo ergo raritas non est, ab eo nihil omnino egreditur[19]. Ideoque solidum est, quod augeri non potest, quia quod au-

1 *quarum* Bas. — 2 *mollescunt* Bas. — 3 *veneram* G. II, *venerem* I. Lat. R. cum Gr. — 4 *spontaneum* G. II. — 5 *quidam etiam ventus faciunt* G. II. — 6 *proprietates* Bas.

1 Bas. omis. — 2 *videmus* Bas. — 3 *quasi quoddam* G. II. — 4 *fictile* G. II. — 5 Bas. omis. *quae est.* — 6 *quare* G. II. — 7 *alius* G. II. — 8 *aparicio* G. I et Bas., *appositio* G. II. — 9 G. II addit *illius.* — 10 G. I omis. — 11 *et quia* G. II. — 12 *indigestionem etiam in animali* Bas. — 13 *planta nina* G. II. — 14 *eruntque* Bas. — 15 *lapides* Bas., *lapide* G. II. — 16 *eorum* omis. G. I. — 17 *unde et* Bas. — 18 *unico* G. II. — 19 *exit* G. I supra lineam.

geri potest, indiget loco, in quo[1] dilatetur et crescat[2], ideoque[3] lapides sales terra[4] uniusmodi sunt semper, nec augentur nec crescunt. Plantae vero secundo modo inest[5] motus, et est attractio, quae est vis terrae, quae attrahit humorem, eritque[6] in attractione[7] motus, venitque ad locum, finiturque quodammodo[8] digestio[9]. Et ideo utplurimum herbae minutae in una hora unius diei generantur, non sicut[10] animal. Natura enim animalis in se[11] diversa est; non enim erit digestio nisi in usu materiae ab animali. Sed materia plantae illi est vicina, et ideo velox est ejus[12] generatio[13], nascitur que et crescit, quod[14] subtile est, citius quam spissum. Spissum enim multis[15] indiget viribus propter diversitatem suae figurae et elongationem partium ejus[16] ab[17] invicem. Et ideo velox est generatio propter similitudinem[18] alterius[19] ad alterum, citiusque complementum[20] est. Partes autem plantarum secundum plurimum sunt rarae, quia calor humorem ad extremitatem[21] plantae trahit, dispergiturque materia per omnes partes ejus, et quod superfluit, emanabit, ut in balneo calor humorem attrahit, et in[22] vaporem convertit, qui elevatur, et quando superfluus fuerit, vertetur in guttas. Similiter quoque in animali et planta superfluitates ascendunt ab inferioribus ad superiora, et descendunt a superioribus ad inferiora[23] in actionibus suis.

CAP. II. Et eodem modo fluvii, qui sub terra generantur a montibus; materiaque eorum pluvie sunt[24]. Quando ergo multiplicantur aquae, et constrictae interius fuerint, fiet ex eis vapor superfluus propter conspissionem[25] interius, scindetque terram, et apparebunt fontes et flumina, quae[26] prius cooperta erant. [Cap. II editt.] Praemisimus autem

1 G. II omis. *in quo.* — 2 *indiget dilatationis loco, ut crescat* Bas. — 3 *set* Bas. — 4 G. II. omis. — 5 *inter* G. I, *in eis* G. II. — 6 *euntque* G. II. — 7 *tractione* G. I. — 8 *que quo modo* G. II. — 9 G. I omisit. — 10 *non sic* Bas. — 11 *a se* G. I et II. — 12 *et* G. II. — 13 Bas. addit: *propter subtilitatem alterius*, quae paulo infra suo loco occurrent. — 14 *et quod quodammodo* G. II. — 15 *multum* G. I. — 16 Bas. omis. — 17 *ad* G. I et II. — 18 *subtilitatem* G. I, II et Bas.; *similitudinem* Alb. — 19 *alterationis* G. I. — 20 *completum* absque *est* G. I. — 21 *extremitates* Bas. — 22 G. II omis. — 23 *ab inferioribus ad superiora. Descendunt e contro* Bas. — 24 *est pluvie* Bas. — 25 *compressionem* G. I et II. — 26 *que tunc* Bas.

generationes[1] fontium et fluviorum in libro[2] meteororum. Et terrae motus ostendit saepe fontes et flumina, quae prius non apparuerant[3], quando scinditur terra ex vapore. Saepe etiam[4] invenimus fontes et flumina submergi, quando fit[5] terrae motus. Sed hoc plantae non contingit, quia aër est in raritate partium ejus. Hujus[6] signum autem est[7], quod terrae motus in arenosis locis non fit, sed in locis duris, quae sunt loca aquarum et montium. Similiter quoque accidit[8] terrae motus in eis, quia aqua est solida lapidesque solidi, naturaque aëris calidi et sicci est ascendere. Cum ergo conveniunt ejus partes, corroborantur, impelluntque locum, exitque ab eo[9] ille vapor, qui, si locus[10] rarus esset, exiret vapor primitus paulatim. Sed quia fuit[11] solidus, hoc ei non evenit, ut paulatim exiret, congregatisque partibus suis[12], potuit terram scindere. Hoc ergo est causa terrae motus in corporibus solidis; et ideo in partibus plantae et animalis terrae motus non erit, in aliis vero[13] erit, multotiensque[14] in fictilibus et in vitro[15] et in mineris alicubi[16]. Sed cujus[17] fuerit multa raritas, consuevit ascendere; sublevat enim ipsum aër. Multotiens quoque[18] hoc videmus, cum projecerimus[19] aureum[20] in aquam vel aliud[21] ponderosum, et mergitur statim, et projicimus[22] lignum rarum, et non mergitur. Ergo non propter folia mergitur, nec propter ponderositatem, sed quia est solidum. Sed rarum non mergitur omnino. Ebenus[23] quoque[24] et quae sunt illi vicina, merguntur, quia in eis est parva raritas, unde non erit in ipso aër, qui ipsum posset extollere: merguntur ergo; partes

1 *generationem* G. II. — 2 G. II addit *nostro.* — 3 *apparent* G. I. — 4 *enim* G. II. — 5 *fuerit* Bas. et G. II. — 6 G. I. omis. — 7 Bas. omis. *autem est.* — 8 sic Albert.; *contingit* Int. Lat. R., *ascendit* G. I et Bas., *ascendet* G. II. — 9 *colorabuntur*, *impellentque locum, exietque ab eo*, Bas.; *partes, que corroborantur, pelletque locus, ejicitque ab illo* G. II. — 10 *solus* G. II. — 11 G. I. omis. — 12 *suris* G. II. — 13 G. II addit *omnibus.* — 14 *non erit. Multociens quoque*, intermediis omissis, Bas. — 15 sic G. I, G. II et Alb.; *ἐν ὑέλῳ* Int. Gr.; quam ob rem miror, Lat. interpretationem recentiorem omnium quot novi editionem habere *in nitro*; *interius* Bas. — 16 *aliquibus* Bas. et G. II. — 17 *cujus corporis* G. II. — 18 *enim* G. I et II. — 19 *projicimus* G. I. — 20 Vulgo *aurum.* — 21 *vel in aliud* G. II. — 22 *projicitur* Bas.; *projiciet* G. II. — 23 *Hebenus* Bas.; *ebanus* G. II. — 24 *vero* G. II.

enim ejus ut multe[1] solidae sunt. Sed oleum[2] omne et folia aquae[3] supernatant. Id autem jam ostendimus. Scimus enim, quod in his est calor et humor; et consuetudo humoris est[4], partibus aquae adhaerere, et caloris, quod facit ascendere[5], et[6] quod consequitur ad partes aëris, et mos aquae, quod elevat ea ad superficiem, ususque[7] aëris, ut faciat ipsum ascendere, et ideo ad[8] superficiem ejus non ascendit aqua, quia tota superficies aquae una est, ideoque ascendit cum oleo super aquam. Lapides quoque[9] quidam[10] aquae supernatant, propter inanitatem[11], quae est in eis major quam quantitas[12] suarum partium, eritque idem locus aëris major loco corporis terrae. Naturaque aquae[13] super terram ascendere, aëris vero super aquam. Materia ergo[14] lapidis, quae est ex genere terrae, mergitur in aquam; naturaque aëris inclusi in lapide ascendit super aquam. Quilibet ergo suum simile attrahit e contrario[15] naturae ejus, cum quo conjungitur[16]. Si ergo[17] mutakefia, mergetur medietas[18] lapidis in aquam; medietasque supereminebit; quodsi major fuerit[19] aër, natabit[20] lapis super aqua. Eodem[21] modo omnes arbores ponderant. Sed lapides, qui sunt ex collisione undarum forti, sunt primum spuma, coagulabunturque ut lac unctuosum; et quando unda arenae illiditur[22], congregabit arena[23] unctuositatem spumae, siccabitque illam siccitas maris cum superflua salsedine, et congregabuntur partes arenae, et hae[24] per longitudinem temporis fient lapides.

Cap. III. Significatio vero, quod mare sit super arenas, est quod omnes terrae sunt dulces in gustu; et quando steterit aqua, prohibetur a sua alteratione, facietque in loco illo aquam comprehensam[25], nec sublimabit[26] eam aër; obti-

1 *ut multa* G. II; *ut multum* Alb. — 2 *oleum vero* Bas. — 3 *et aqua* G. II. — 4 Bas. omis.; *humoris et caloris est* G. II. — 5 *ascendere humidum* G. II. — 6 Bas. omis. — 7 G. II omis. — 8 Bas. omis. — 9 *vero* Bas. — 10 *qui* G. I; *sunt qui* G. II. — 11 Bas. omisit *propter inanitatem.* — 12 *major quantitatis* Bas. — 13 *natura namque est aque* G. II. — 14 *quoque* G. I. — 15 Alb. legisse videtur *in compositis.* — 16 *cui adjungitur* G. II. — 17 Bas. addit *fuerit.* — 18 G. I. omis. — 19 *sit* Bas. et G. II. — 20 *natabitque* G. I. — 21 *Sodem* Bas., litera initiali falsa adpicta. — 22 *alliditur* G. II. — 23 Bas. verba octo antecedentia omisit. — 24 *he congregate* Bas. — 25 *aqua incomprehensam* Bas. — 26 *sublimavit* G. I.

nuerunt ergo in ea partes terrae, factaeque[1] sunt salsae[2], et calefactae[3] paulatim sunt. Lutum enim ingenuum est[4] in fluminibus dulcibus propter suavitatem et subtilitatem aquae; et quia obtinuit[5] in aqua siccitas terrae[6], convertit eam in genus terrarum vel prope eam[7]; incrispavitque[8] utrumque alterum, duravitque postea siccitas secundum durationem fixionis terrae et existentiam aquae, divisitque lutum per parvas partes[9], et ideo terra[10] mari propinqua arenosa. Et sic campi, qui non habent, quod eas cooperiat a sole, et sunt remoti ab aqua dulci; siccavitque sol partes humiditatis dulcis, remansitque quod est de genere terrae; et quia perseveravit sol in hoc loco[11] non cooperto, separatae sunt partes luti, factaque est arena[12]. Hujus quoque signum, quod cum in hoc loco[13] profundo cavaverimus, inveniemus lutum ingenuum. Erit ergo hoc radix arenae, nec fiet arena nisi per accidens contingensque illi, quod est mora motus[14] solis, et elongatio ab aquis dulcibus. Eodem quoque modo sciendum est de salsedine aquarum[15] maris, quia radix omnium aquarum est dulcis, nec accidit ei salsedo, nisi ut diximus. Hujus signum sensatum[16], quod terra sub aqua est, aquaque super terram necessario et naturaliter. [Quae aqua propius accedit ad elementum[17]]. Senserunt autem quidam, quod communius[18] est omnium ipsorum plurimum; plurimum autem aqua maris; mare ergo elementum omnium aquarum. Est autem aqua naturaliter eminens super terram et subtilior ipsa[19]; jam enim[20] ostendimus, quod aqua est eleva-

---

1 *fereque* G. II. — 2 *salse aque*, omisso *sunt* Bas. — 3 *calefacere* G. II. — 4 *ingenitum est* Alb.; *ingenuum*, omisso *est*, Codd. omnes. — 5 *operatur* G. I. — 6 G. II. omis. — 7 *terram* G. I. — 8 *incrispavit itaque* G. II. — 9 *per suas partes parvas* G. II. — 10 *et ideo fit terra* G. II. — 11 *in loco illo* G. I. — 12 *facteque sunt harene* Bas. — 13 *in loco tali* Bas., omisso *profundo*. — 14 sic G. II cum Alb.; *motus mora* Bas.; *motus*, omisso *mora*, G. I. — 15 *si quorum* G. II. — 16 *salsatum* Bas. — 17 Verba uncis inclusa in omnibus quidem codd. mss. leguntur, sed in Bas., qui capita rubricis distinguit, capitis abhinc incipientis titulum, rubris literis scriptum, efficiunt, nec inepte. — 18 *communis* Bas. et G. II. — 19 *super terram subtilius ipsius* G. I; *omnium aquarum est. Autem naturalis eminens super terram et subtilius ipsa* G. II; *est autem subtilius ipsius aqua naturalis omnis super terram* Bas.; *et est subtilior, et per consequens levior, quam terra* Alb. — 20 *ergo* G. I; *autem* G. II; *ante* Bas.; *enim* ex conjectura scripsi.

tior[1] elevatione terrae secundum altitudinem[2] corporis aquae. Accipiamus ergo duo vasa aequalia, ponamusque in illis aquam dulcem et aquam salsam; postea accipiamus ovum, et ponamus ipsum in aqua dulci, et mergetur; postea ponamus in salsa, et natabit. Ergo ascendit[3] super partes aquae salsae, quia partes ejus non merguntur[4], sicut partes aquae dulcis, et illae partes potuerunt[5] sustinere illud pondus, et non est mersum. Sic autem[6] in mari mortuo non mergitur animal nec generatur, quia vincit siccitas in eo, et est[7] propinquum figurae terrae[8]. Patet ergo, quod aqua spissa est sub non[9] spissa; spissa enim est de genere terrae, rara[10] vero de genere[11] aëris; et ideo supereminet aqua dulcis omnibus aquis: illa ergo a terra est remotior. Jam autem scimus, quod aqua, quae remotissima est a terra, naturalis est[12]; aquam autem[13] dulcem ceteris[14] supereminere, ostendimus: hanc ergo naturalem esse, hoc signo certum et[15] necessarium est. Generatur quoque sal in lacunis, quia aqua[16] dulcis fit salsa. Superat ergo salsedo terrae illam salsedine[17], remanebitque[18] aër inclusus, et non erit ideo[19] illud corpus dulce. Alio modo ergo ejus esse est ex aquis[20], quod exit[21] ab eis ut sudor.

Cap. IV [vulgo III]. Eodem modo quoque herbae. Et species non fient nisi per[22] compositionem, non per naturam simplicem, ut salsedo ab aqua[23] maris, et substantia arenarum; quia vapores, ascendentes[24] cum coagulati fuerint, poterunt comprehendere has herbas, cadetque[25] aër, rorificabitque[26] locum, provenietque ex eo per virtutem stellarum

---

1 *elevatur*, omisso *est* G. II. — 2 sic G. II, confirmante Alberto; *altitudiné* G. I, *altitudinis* Bas., omissa apud utrumque praepositione *secundum*. — 3 *ascendet* G. II. — 4 *mergunt* G. I. — 5 *poterunt* Bas. — 6 *ergo* G. II. — 7 *que est* G. II; *et*, omisso *est*, G. I. — 8 *propinquum terre fulgure* Bas. — 9 G. II omis. — 10 *rata* G. II. — 11 Bas. omisit verba quinque praecedentia. — 12 *naturalem* Bas., omisso *est*. — 13 *quod*, omisso *aquam*, G. II. — 14 *terris* G. II. — 15 *signo ostendi necessarium est* Bas. — 16 G. I omisit. — 17 *illam salsedinem* G. I; *salsedinem illam* V. lib. VI, cap. 88; *illam salsitudinem* G. II; *illa salsedine* Bas. — 18 *remanetque* G. II. — 19 *ergo* G. I. — 20 *a modo suis ergo esse ex aquis est*, Bas.; *aliquo modo ejus genus esset ex aquis*, G. II. — 21 *erit* Bas. — 22 *propter* G. II. — 23 *aquis* Bas. — 24 *accendentes* Bas. — 25 *caditque* G. I et II. — 26 sic G. I; *rarificabitque* Bas., *revificabitque* G. II.

forma illorum seminum. Sed materia necessaria[1]: haec autem est aqua, quamvis fuerit diversitas generum; et[2] non ascendit aqua nisi dulcis, et sic aqua salsa ponderosior est; et sic, quod super aquam ascendit, subtilius est aqua. Cum ergo attraxerit[3] illud aër, subtiliabitur et ascendet magis, et ideo fiunt fontes et flumina in montibus, ut[4] ascendunt[5] phlegma[6] et[7] sanguis ad cerebrum, sic quoque cibi omnes ascendunt, et sic omnes aquae. Sed aqua salsa ascendit cum eo, quod siccavit calor ad genus aëris[8], et[9] quia fuit aër super aquam, fuit, quod ascendit super aquam salsam, dulce[10]. Inveniemus autem saepe illud in balneo. Cum enim aquam salsam apprehenderit calor, subtiliabuntur partes ejus, ascendetque vapor e contrario, quam erat in profundo balnei, et recesserunt partes salsedinis[11] cum humore naturali, quia est[12] ex genere[13] aëris, et sequitur[14] vaporem, proceditque unus post alium sursum, et quando accesserint, comprimunt alter alterum[15]. Congregabitur ergo et inspissabitur et convertetur deorsum aqua dulcis guttatim, et sic in omnibus balneis salsis[16] erit vapor dulcis.

Cap. V. Sed herbae natae in aqua salsa non debent esse propter multum frigus et siccitatem. Et hoc est, quod planta indiget duobus, materia scilicet, et loco suae naturae convenienti; cumque haec duo praesentia fuerint, proveniet planta. Invenimus autem nivem[17] remotissimam naturam a temperantia, nec est in superfluo nisi prohibitio essendi in loco temperato. Non ergo invenimus plantam in nive. Invenimus tamen[18] saepe plantam apparentem et omnia[19] animalia et praecipue[20] lumbricos, quia hi fiunt in nive, et vibex[21] omnesque herbae amarae. Sed nix non exigitur[22], ut sit

---

1 Bas. omisit. — 2 *quia* G. II. — 3 *extraxerit* Bas. — 4 *et* G. I et II. — 5 *ascenderunt* Bas. — 6 *fleuma* pro aevi more omnes et Nicolai et Alberti codd. mss. — 7 *ut* Bas. — 8 *color magnus aëris* Bas., *calor agens aëris* G. II. — 9 *set* G. I. — 10 *dulcem* Bas. — 11 *salse de hiis* Bas. — 12 *naturali quoque tunc cum* G. II. — 13 *exigua* Bas. — 14 *ut sequalur* G. II. — 15 sic G. I et II; *illum tactum* Bas., *se invicem* Alb., *alter alterum* conjectura est. — 16 G. II omisit. — 17 *autem in hiis* Bas. — 18 *et invenimus* G. I. — 19 *et quaedam* Alb. cum interpr. et Gr. et L. R. Verba praecedentia *invenimus t. s. pl. apparentem* in Bas. desiderantur. — 20 *praeterca* G. I. — 21 *ribex* Bas. — 22 *exigit* Bas.

hoc, sed[1] vincit aliquid esse nivis; et hoc est, quia nix descendit similis fumo, congelatque eam ventus, et constringit eam aër[2]. Erit ergo raritas inter partes[3] ejus, retineturque[4] aër in eo, et calefiet, manatque de[5] eo aqua putrida, quae aërem intercluserat; cumque fuerit aër multae amplitudinis, solque[6] affuerit, erumpet aër comprehensus in nive, apparebitque humiditas putrida, coagulabiturque cum calore soli. Quodsi fuerit locus coopertus, fient in eo plantae sine foliis, quia recessit a[7] temperantia terrae, quae homogenealis est. Et hoc est, quod flores et folia in herbis minutis multi sunt[8] in locis temperatis in aëre et aqua, et ideo[9] pauci sunt flores et folia plantae, quae contingit in nive. Eodem quoque modo in locis multum[10] salitis[11] et siccis: secundum[12] plurimum non apparet in eis planta, quia haec loca remota sunt a temperantia; et minoratur terra, quia longae sunt calor et humor, quae propria[13] sunt aquae dulcis. Et ideo facta est terra dulcis montuosa, et cito nascuntur ibi plantae.

Cap. VI. Sed[14] in locis calidis, quia dulcis est aqua et calor multus, provenit decoctio duabus partibus, ex[15] effectu loci cum aëre in eo existente, et decoctio aëris ex calore[16] solis in illo loco. Montes vero, quia attrahunt humores, et adjuvat[17] illos claritas aëris; et festinat decoctio, et ideo plantae ut multum in montibus sunt. In eremis[18] quoque[19] vincit salsedo, utpote[20] praeostendimus, et remanent ibi[21] inter partes arenae raritates[22] similes ad invicem: non ergo habet sol[23] virtutem, ut efficiat vel confirmet[24] continuitatem[25] essentiae plantae[26]; ergo in eremis[27] non erunt species propriae, sed similes ad

---

1 *sequi* Bas. — 2 *constringitque aër* G. I. — 3 *inter ipsas partes* G. II, *in partes* Bas. — 4 *retinentque* G. II. — 5 *cum* G. II. — 6 *et sol quoque* G. II. — 7 praepositionem omisere Bas. et G. II. — 8 *mixta sunt* G. II, *μεμιγμένα εὑρίσκονται* Int. Gr., *mistim reperiantur* Int. Lat. R., *mixtis* G. I, *mirtis* Bas., *fieri habent* Alb. Sequens et huic oppositum *pauci* movit, ut *multi sunt* scriberem. — 9 G. II omisit. — 10 *multis* G. I et II. — 11 *sallitis* G. I et Alb., *saliciis* Bas., *salsis* G. II. — 12 *set* Bas. — 13 *proprie* G. I. — 14 Bas. omisit, novumque caput incepit. — 15 *et* Bas. — 16 *colore* Bas. — 17 *adravatur* G. II. — 18 *arenis* G. II cum interpr. Lat. R. — 19 *quid* Bas., fortasse pro *quidem*. — 20 *ut* G. II. — 21 G. II omis. — 22 G. II addit *et raritates*. — 23 *non ergo sol habebit* G. II. — 24 *et confirmat* G. II. — 25 *continuationem* Bas. et G. II. — 26 G. I et Bas. punctum non post, sed ante *plantae* ponunt. — 27 *arenis* G. II.

invicem. [Vulgo cap. IV.] Planta autem, quae super[1] superficiem aquae nascitur, non erit nisi[2] cum[3] grossitudine aquae: et hoc est, quia, cum[4] calor tetigerit aquam, quae[5] cursum non habet, quo moveatur, pervenit[6] super eam simile nubi, parumque aëris retinet[7], putrescitque ille humor, attrahitque illum calor, et expansus est super faciem[8] aquae; et non habet radicem, quia radices in partibus duris terrae erunt, et aqua partes habet disgregatas et expansas. Evenit ergo calor cum putredine, quae nata est super faciem[9] aquae: et ideo non habet folia, quia longe est[10] a temperantia; et non[11] sunt partes ejus compactae, quia nec aquae partes compactae. Unde etiam haec planta ad similitudinem filorum[12] nascitur. Et quia terrae partes compactae sunt, plantae quoque compactae[13] sunt super aliquam terram[14]: aliquotiens[15] putrefiunt in loco humido et[16] fumoso putredines, quae detinent aërem[17], et quando multiplicantur pluviae et venti, sol apparere faciet illas, et faciet siccari et coagulari siccitas[18] terrae radices illarum, et erunt inde[19] fungi et tuberes et similia. Et quod erit in locis[20] calidis vehementer: et hoc est, quia calor digerit[21] aquam[22] in interioribus terrae, detinetque[23] eum sol, fit ergo[24] vapor, contingitque inde[25] planta; et similiter fit[26] in omnibus locis[27] calidis, completurque in illo efficacia. Loca autem frigida simile faciunt per[28] contrarium: frigidus[29] enim aër calorem comprimit deorsum, et congregantur[30] partes ejus, et locus decoquitur cum hac humiditate praesenti, scinditurque[31] locus, egrediturque ex eo planta. A locis vero dulcibus aqua ut

---

1 G. I omis. Fortasse, ut infra, ita etiam hic legendum *super faciem.* — 2 *visa* G. I. — 3 *ex* G. II. — 4 Bas. omis. — 5 *qui* G. II. 6 *pervenitque* G. I. — 7 *retinetur* Bas. — 8 *est superficiem* Bas. — 9 *quae nota est super superficiem* Bas. — 10 *sunt* Bas. — 11 G. II omis. — 12 *foliorum*, ubique legitur. De conjectura nostra in textum recepta cf. adnotationes. — 13 Bas. addit *quoque terrae compactae.* — 14 *suntque super terram* G. II. — 15 *Ales quotiens* Bas. — 16 G. I et Alb. omiserunt *humido et.* — 17 *detinent ipsum aëra* Bas. — 18 *et siccitas* G. II. — 19 *illarum* G. II; omis. G. I. — 20 *et id quidem erit in latis* G. II. — 21 *dirigit* G. II. — 22 omis. Bas. — 23 *detinet* G. II. — 24 *fitque* Bas. — 25 *contingetque in* G. II. — 26 Bas. solus habet. — 27 Bas. omis. — 28 G. II omis. — 29 *frigidum* Bas. — 30 *congelantur* G. II. — 31 *finditur* G. I.

multum non separatur. Cum ergo aër terrae inclusus excitatus fuerit, manebit humiditas aquae[1], coagulabiturque aër in interioribus aquae[2], egrediturque planta ut nenufar[3] et species herbarum minutarum[4], et hae erectae[5] nascuntur, non expansae, quia radices earum sunt super terram. In locis quoque, in quibus aqua calida currit, multotiens planta nascitur, quia caliditas aquae attrahit vapores retentos in terra, frigidumque[6] humorem sursum trahit, et coagulatur aër ex eo humore, quem[7] digerit caliditate aquae, apparetque[8] planta, sed[9] non nisi post[10] tempus longum. Herbae quoque[11] minutae apparent[12] in locis[13] sulphureis: ventusque[14] cum vehementer[15] flaverit super auripigmentum, repercutientur[16] ad invicem, excitabiturque aër, qui est in eo, et calefiet locus et fiet inde[17] ignis, et postea fiet[18], quod[19] est in profundo auripigmenti[20], quod[21] descendit ex faece aëris, et attrahit ipsum[22] ignis cum putredine auripigmenti, fietque ex eo planta; et ut multum non habebit folia multa, ut praeostendimus, quia a temperantia remota est.

Cap. VII. Quod autem comestibile est ex planta, erit in locis calidis lenibus altis, et maxime in climate tertio et quarto; et quod erit prope cibum, in locis frigidis et altis. Et ideo multiplicantur species in locis frigidis altis[23] propter attractionem humorum et temperantiam[24] in calore solis in diebus vernalibus. Similiterque lutum ingenuum[25] cito produ-

---

1 G. II omis. — 2 Sic G. II; *terrae aquae* G. I, ubi, ni fallor, scriba prioris expungendi oblitus est; *in interioribusque aquae* Bas., omisso sequenti *que*. — 3 *venifera*, omisso *ut*, G. I; *νοῦφαρ τὸ ἰατρικὸν* Int. Gr.; *nenufar medicum* I. L. R. — 4 Sic Bas. et I. L. R.; *multarum* G. I cum Alb., *multarum minutarum* G. II cum I. Gr. — 5 *execte* Bas., *recte* G. II. — 6 *frigidum quoque* Bas. — 7 *que* G. I, *quod* G. II. — 8 *apparet et* G. I et II. — 9 G. I omis. — 10 *per* G. I. — 11 G. I omisit *herbae quoque*. — 12 *que apparuit* G. I, *que apparent* Bas. et G. II. — 13 *aquis* Bas. et G. II. — 14 Huc transtuli ex conjectura illud *que* seu *quae*, quod in codd. mss. legitur ante *apparent*. Int. Lat. Rec. idem fere hoc modo effecit: ***Herbae vero** pusillae, quae in aquis sulphureis apparent, tum fiunt, cum ventus* etc. — 15 G. I omis. — 16 *repercutietur* Bas. — 17 G. I omis. — 18 G. I omis. *et postea fiet.* — 19 *qui* G. I. — 20 *ara et pineti* Bas.; G. II post *auripigmenti* repetit verba *et fiet.* — 21 *qui* G. I. — 22 *aëris atramentum* G. II. — 23 G. II omis. *altis*, Bas. autem omnia inde ab *et ideo*. — 24 *temperantia* G. I et Bas. — 25 *ingenitum* G. II.

cit plantam unctuosam; et comprehensio ejus[1] est[2] in aqua dulci, ut praediximus. [Cap. V. vulgo]. Planta autem, quae super solidos lapides nascitur, longo tempore contingit. Aër enim comprehensus[3] in illis nititur[4] ascendere; cumque viam non invenerit propter fortitudinem lapidis, revertitur, et calefit, et attrahit humorem residuum, qui est in lapidibus, sursum, exitque[5] vapor cum illo humore cum resolutione parvarum partium lapidis; et quia saepe usus est lapide, adjuvit eum sol in sua digestione, fitque[6] ex eo planta. Et fere non ascendit, nisi propinqua fuerit terrae vel humori. Sed quod remanet de planta, eget terra, aqua, aëre. Et consideratur planta, et si fuerit prope solem, citius nascetur; et si fuerit ad occidentem, tardabitur. Et planta: quando dominabitur[7] in illa aqua, retinebit aërem, nec permittet eum ascendere; et non nutritur planta. Eodem modo siccitas: quando obtinuerit, convertetur calor naturalis ad extremitates, et obturabit[8] vias[9], per quas[10] erant meatus aquae, et non nutritur planta. [Vulgo cap. VI]. Tota siquid planta quatuor indiget; animal quoque similiter: semine terminato, loco conveniente, aqua moderata, aëre consimili; cumque haec quatuor perfecta[11] fuerint, nascetur planta, et crescet; quodsi dissensuerint[12], debilitabitur secundum dissensum. Planta autem, quae provenit in montibus altis, si fuerit species, erit promtior[13] et aptior medicinae, fructus vero durior ad[14] digerendum, et non multum nutriet. Loca vero a sole remota non erunt multarum plantarum, animalium quoque similiter, quia sol producit longitudinem diei in remotione sua, et comprehendit humorem illum[15], nec[16] habebit planta vires folia[17] et fructus producendi. Sed planta, quae nascitur in locis aquosis, aqua cum acquieverit[18], fiet ut faex,

---

1 *comprehensio humoris ejus* Bas. et G. II, *constrictio humoris ejus* Int. L. R. cum I. Gr. At Alberti interpretatio *talis autem luti comprehensio* affirmat lectionem codicis G. I. — 2 G. I et Bas. omis. — 3 *incomprehensus* G. I. — 4 *mutatur* G. II. — 5 *exiitque* Bas., *eritque* G. II. — 6 *fuitque* G. I. — 7 *dilabitur* G. II. — 8 *obdurabit* codd. mss. omnes. — 9 *planta vias* G. II. — 10 *per aquas* Bas. — 11 *peracta* G. II. — 12 *discesçensuerit* Bas. — 13 *perniciosior* Bas. — 14 *et ad* Bas. — 15 *illorum locorum* Alb., *illum humore* G. II. — 16 *ne* G. I. — 17 *folium* Bas. — 18 *quieverit* G. II.

nec erit vis in aëre, ut subtiliet[1] partes aquae, detinebiturque aër in interioribus terrae, prohibebitque grossitudinem aquae ascendere, mundabitque ventus in loco illo, et findetur[2] terra, reprimitque se[3] aër compressus et coagulabit ventus illum humorem, provenietque ex illa humiditate planta stagnorum. Et ut[4] multum non differunt in forma[5] propter perseverantiam et grossitudinem aquae et calorem solis desuper. Sed planta, quae erit in locis udis[6], apparebit super faciem[7] terrae ut viriditas[8]. Dico ergo, in illo loco[9] parvam esse raritatem; cumque ceciderit sol, movebit illam humiditatem, et calefiet locus cum motu contingente et calore compresso in interioribus terrae, et non[10] habuit planta, unde[11] cresceret, et adjuvit eam humor[12] sua expansione, et diffusa est super terram ut pannus viridis, nec habet folia. Nascitur autem de genere plantae, quae apparet super superficiem aquae, et haec[13] minor in quantitate quam illa, quia prope[14] est generi terrae, nec[15] ascendit, nec distenditur[16]. Saepe etiam[17] ex[18] planta alia planta nascitur, non[19] suae formae, sine radice; movetque se super[20] plantam, quia planta multarum spinarum unctuosae aquae cum se moverit, aperientur partes ejus, vaporabitque sol illas putredines[21], digeretque[22] herbam[23] cum sua natura locus putridus, adjuvatque anima cum calore temperato, et crescit planta ut fila[24], et tenduntur super[25] plantam; et hoc proprium est plantae[26] multum spinosae, ut cuscute[27] et similia.

CAP. VIII. Herbae autem[28], et quicquid crescit[29] super terram et in terra, provenit ex aliquo istorum quin-

1 *ut subtili et* Bas., *vel subtiliet* G. II. — 2 *fundetur* Bas., *scindetur* G. II. — 3 Sic G. II; *reprimit se* G. I, *reprimit*, omissis *que se*, Bas. — 4 G. II omis. — 5 G. II addit *vel figura*. — 6 *locis humidis in superficie* G. II. — 7 *superficiem* Bas. — 8 *et viriditas* G. I, *ut et viriditas* G. II, *ut viriditas terre* Bas. — 9 G. I omis. — 10 *non cum* G. II. — 11 *utrum* G. II. — 12 *humor fimus* G. II. — 13 *hec planta* G. II. — 14 *proprie* G. I. — 15 *non* G. I. — 16 *nec descendet nec diffunderet* G. II. — 17 *scilicet* Bas. — 18 *in* Bas. et G. II. — 19 *vero* Bas. — 20 *se super* omis. G. II. — 21 *putredine* Bas. — 22 digeret G. I; *digeritque* Bas.; *dirigitque* G. II. — 23 *herba* Bas. — 24 *et ut folia herbe* G. II. — 25 *super totam* G. II. — 26 *plantae et* Bas. — 27 Sic G. II; *cuscate* G. I, *consente* Bas., *linocostis* I. L. R., *λινόζωστις* I. G. — 28 G. II omis. *herbae autem*. — 29 *quecunque crescunt* Bas.

que[1], quae sunt semen, putredo, humor aquae[2], plantatio, super aliam plantam nasci. Et haec[3] quinque radices sunt plantarum.

CAP. IX [vulgo VII]. Triplex quoque[4] est arborum fecunditas: aut[5] enim fructum[6] producit ante folia[7], aut cum foliis, vel post folia procreata[8]. [Est quoque planta, quae non habet radicem nec[9] folia, et est, quae stipitem sine fructu et folio[10] habet, ut barba Jovis[11].] Adhuc quoque ostendimus has tres operationes[12]. Sed quae fructum ante folia producit[13], multam habet[14] unctuositatem; cumque digesserit eam calor, qui est naturalis plantae, festinabit ejus[15] maturatio, confortabiturque, et defervescet in ramis plantae, prohibebitque humorem, ne ascendat, ex eoque[16] praecedit fructus folia. In plantis autem, quae folia citius producunt quam fructus, effectus humorum erunt multi[17]; cumque calor solis inceperit[18] dispergere partes[19] aquae, sursum attrahit sol[20] partes illius humoris, et tardabitur maturatio, quia digestio fructus non erit nisi in coagulatione, et praecedunt folia fructus. Planta vero, quae folia et fructus simul[21] producit, multos habet humores, et multotiens accedit ei unctuositas. Quam[22] cum calor digesserit, ascendet ex eo cum[23] illa unctuositate, attrahetque illud aër[24] cum sole, egredieturque unctuositas fructus, et humor folia producet[25]

1 *proveniunt ex aliquo istorum proveniunt* Bas., *provenit etiam* etc. G. II. — 2 *humor, aqua* G. II cum Alb., qui partes duas sequentes in unam sic contrahit: *plantatio, quae est plantam nasci super plantam aliam*. Longe aliter Int. et Gr. et L. R. has quinque partes enumerant: *semen*, *aquae humor*, *locus idoneus*, *aër et plantatio*. — 3 Bas. omis. — 4 *temporaliter ergo* G. II. — 5 G. II omis. — 6 *fructus* G. II. — 7 *aut foliam* (sic) G. II. — 8 *creata* G. I. — 9 *vel* G. II. — 10 *foliis* Bas. — 11 Sic G. I, G. II et Alb.; *herba jovis* Bas., *chrysocomos aut chrysites* I. et Gr. et L. R. — 12 Sic Bas.; G. II omisit *tres*; G. II omis. omnia inde ab *adhuc*. — 13 *producunt* G. II; Bas. addit *vel folia*. — 14 *habent* G. II, *multa habet* Bas. — 15 *eis* G. II. — 16 *ex eo, quod* G. I, *ex eo, et* Bas. — 17 Codices hoc loco omnes vel manci vel corrupti. *Que cicius fructum producunt quam folia, effectus erunt multi* Bas.; *que cicius folia producunt, effectus humorum erunt multi* G. II; *que folia cicius, humorum erunt multi* G. I. — 18 *incipit* G. I. — 19 G. II omis. — 20 *attrahitque* G. I. — 21 *que simul est, et fructus* G. II. — 22 omisit G. II. — 23 *ex* G. II. — 24 *attrahit aërque illud* G. II. — 25 *et humor et folia* G. I; *et humorum et folia* G. II, omisso *producet* ab utroque.

una expositione. Antiqui sapientes folia etiam omnia fructus esse asserebant; sed humor tantus erat, quod non maturabantur nec coagulabantur[1] propter apparitionem caloris desuper, et festinationem attractus solis. Humor ergo, in quem non[2] operata est digestio, alteratus est folia; nec habent folia aliquam[3] intentionem, nisi attractum humoris[4], et ut sint cooperimentum fructuum a vehementia solis; et ideo oportuit, similiter[5] ut folia essent fructus; sed humor ascendit super ea, et alterata sunt folia, ut diximus. Eodem modo est judicium[6] in oleis. Sed oleae[7] saepe[8] privantur fructu, quia natura quando digesserit, ascendet primo de subtili, quod non maturaverit, eritque ille humor folia[9], eritque illa digestio flores; cumque maturaverit in secundo anno digestio, nascetur fructus[10], exibitque[11] ad finem materiae secundum locum, qui est in eo.

Cap. X. Spinae vero non sunt de genere plantae, nec de natura ejus[12]. Sed dico, quod in planta est raritas, et erit in principio naturae decoctio, et ascendit humor et frigus[13], et cum eis parva decoctio[14]; ambulatque in illa raritate, facitque illud coagulari sol[15], eruntque ex illo spinae, et ideo erit forma earum pyramidalis[16]. Est[17] enim pedetentim incipiens a gracili, et procedens[18] ad grossius paulatim, quia aër cum elongatus[19] fuerit a planta illa, augentur[20] partes ejus cum extensione materiae. Eodem modo omnis planta vel arbor, cujus caput[21] fuerit pyramidale.

Cap. XI [vulgo VIII]. Viriditas plantae debet esse res

---

1 *nec coagulabuntur* omis. Bas. — 2 *vero* G. II; omis. G. I. — 3 *aliam* Bas. — 4 Solo Bas. legitur. — 5 *et non similiter oportuit* Bas. — 6 *videndum* G. I. — 7 *oleis. set olea* G. I; *oleribus. set olera* Bas.; *olivis set olive* G. II; *in oleis ergo....* *Sed olea sive oliva* Albert. — 8 G. I omis. — 9 *eritque ille humor folia* omisit Bas. — 10 G. I omnia inde ab *cumque maturaverit*, Bas. tantum verba *in secundo anno* omiserunt. — 11 *exhibebitque* G. II. — 12 *de genere nec de natura plante* Bas. — 13 *humor frigidus* G. II. — 14 G. II omisit verba decem praecedentia, inde ab *et ascendit.* — *Parva discretio* I. L. R. — 15 Bas. omis. — 16 *piramealis* G. I. — 17 *et* G. I. — 18 *procedet* G. I. — 19 *longatus* G. I, *elegatus* G. II. — 20 *agentus* G. II. — 21 *capiti* G. II, *capd* G. I et Bas., quod haud dubie *capud* legendum est. Dufresne ex Gloss. arab. lat. et ex Joanne de Janua affert *capedulum*, pro capitis vestimento.

communissima[1]. In arboribus enim videmus[2], quod interius est albedo[3], et viriditas exterius; et hoc est, quia materia utuntur[4] propinquiori. Oportet ergo, ut sit viriditas in omnibus plantis[5], quia materiae attrahuntur[6] et rarificant lignum arboris; facitque calor parvam digestionem[7], remanetque ibi[8] humor, apparetque exterius: erit ergo viriditas. Et hoc est in foliis nisi quia major inest digestio, et ipsa sunt media inter casuram[9] et lignum in potentia[10]. Sed viriditas non moratur[11], nec est nisi humor in illa, estque de genere terrae, fitque[12] inter illa ambo color viridis[13]. Hujus autem signum, quod cortices arboris quando arescunt, denigrantur[14], et fiunt ligna alba interius[15], fitque in illis inter illos duos colores color viridis in apparenti plantae.

Cap. XII. Figurae autem plantae tres sunt modi. Quaedam enim sursum prodeunt, quaedam deorsum, quaedam inter haec. Sed quae tendit[16] sursum, est quia materia ejus apparet in medulla plantae, et attrahit calor, et comprimit ipsam aër[17], qui est inter raritates ipsius, pyramidaturque, sicut pyramidatur[18] ignis in suis materiis, et elevatur[19]. Quae autem deorsum tendit, meatus coangustantur[20]; cumque digesta fuerit materia, inspissabitur aqua, quae est in medulla[21] plantae, proceditque subtile sursum, convertiturque aqua ad partes illas[22] deorsum, movetque illam sua ponderositate. Quae vero[23] inter duas partes fuerit, subtiliatur[24] humor, et natura vicinatur temperantiae in digestione, eruntque meatus

1 G. II omis. — 2 *in arboribus. Videmus enim*, sic vulgo; correxi ex conjectura. — 3 *Videmus, quod communis est albedo* G. I, *videmus, quod corpus est alba* Bas., *videmus enim, quod communis est albedo* G. II. Itaque ex conjectura correxi. — 4 *innititur* G. II. — 5 *arboribus* Bas. — 6 Vulgo *attrahunt*; Alb. autem *attrahuntur* legit. — 7 Sic Bas. et I. L. R.; *fluitque c. p. d.* G. I, *fluitque caror parva digestione* G. II. — 8 Solus Bas. habet. — 9 *rosam* omnes codd. mss., *rasuram, quae est cortex* Alb. — 10 *moritur* G. II, *moras* Bas. — 11 *quia fit* G. II. — 12 *ambo viriditas* G. I. — 13 *cortex arb. q. arescit, denigratur* Bas. — 14 *sunt folia alba interius* G. I, *fit albus immaturus* Bas., *fiunt alba interius* G. II. Nos Albertum secuti sumus. — 15 *fit* Bas. — 16 *tendunt* Bas. — 17 *ipsum aerem* G. II. — 18 *pirami duntque sicut pirami datur* G. II — 19 *eliciatur* Bas. — 20 *coagustatur* G. I, *coagulatur* G. II. — 21 *etiam qua est medicina* G. II, *in qua est medulla* G. I et Bas. Ita scripsi, ut et Alb. legisse manifestum est, et res ipsa postulat. — 22 *albas* Bas. — 23 *non* G. I. — 24 *subtiliaturque* G. II.

medii, tenduntque materiae[1] sursum et deorsum. Est autem prima digestio desub planta, et secunda, quae est in medulla, quae exit a terra, quae est in media planta; et postea apparent[2] maturae[3], dividunturque, nec digeruntur tertia[4] digestione. Tertia enim digestio est in animali, nec enim fit tertia digestio nisi propter diversitatem[5] membrorum et remotionem naturarum[6] adinvicem. Sed plantae vicinae sunt adiuvicem, et multiplicantur in multis locis, et[7] ut plurimum materiae plantarum inferius tendunt[8]. Figurae vero[9] plantarum erunt in quantitate seminum; flos vero plantae et fructus sunt in aquis et materiis[10]. Et positus motus[11] primus, maturatio et digestio, in omnibus animalibus; nec[12] recedunt ab hoc. Sed in planta est prima digestio[13] et maturatio secundum nutrimentum. Quaelibet vero[14] arbor ascendit semper[15], donec compleatur et intereat. Et hoc est, quia cujuslibet animalis longitudo propinqua est suae latitudini; in plantis vero remota est, quia radix ejus, aqua et[16] ignis, festinant in ascensu[17], et procreatur planta. Diversitas vero plantae in ramis est de superflua raritate, cumque comprehensi[18] fuerint humores, calefiet natura et festinabit in digerendo[19], formabunturque rami et apparebunt folia, ut praediximus.

Cap. XIII [vulgo IX]. Quod autem folia arborum cadunt, erit propter fluxibilitatem[20] velocis raritatis; cumque digesta fuerit aqua[21] cum materia, pyramidabitur, ideoque erunt meatus interius ampli[22], et posthac graciliabuntur et pyramidabuntur[23]; et quando[24] apparuerit nutritiva[25] materia cum digestione completaque perfectione, obturabit[26] extremi-

---

1 *in* Bas., ortum haud dubie ex scriptione compendiosa $\overset{e}{m}$ pro *materie*. — 2 *apparuit* G. I et II. — 3 *materie* Bas. et G. II. — 4 *a terra* G. II. — 5 G. II addit *nature*. — 6 *naturalium* G. II. — 7 Ex unico G. II recepi. — 8 *materia plant. infer. tendit* G. II. — 9 *enim* G. II. — 10 *maris* G. I. — 11 *positus humor motus* Bas., ubi *humorum* legendum esse, perspicuum est. Sed hoc solo cod. legitur. *Positus est motus* G. II. — 12 *non* G. I; sed Alb. cum Bas. *nec* legisse videtur. — 13 G. II verba tredecim praecedentia inde ab anteriori *digestio* omisit. — 14 *enim* G. II. — 15 *super* G. II. — 16 *ejus et aqua et* G. I. — 17 *ascensum* G. II. — 18 *cumque impressi* Bas., *neque compressi* G. II. — 19 *festinabit indigestio* Bas. — 20 *fluxitatem* G. I. — 21 G. I omis. — 22 *erit, ut eorum meatus interius amplius* G. II. — 23 *et pyramidabuntur* omis. G. I. — 24 G. II omis. — 25 G. II et Bas. omiserunt. — 26 *obturabitque* G. I, *obturabitur* G. II.

tates[1] meatuum superius[2], nec habebunt folia materiam[3]; siccantur[4] ergo. Et cum contrario ejus[5], quod diximus[6] non cadunt de planta[7]. Cumque vincit plantam[8] frigus, colorabit eam cum occultatione caloris in medio plantae et apparitione frigoris[9] exterius in extremitatibus ejus; et ideo[10] glauca sunt folia, nec cadunt, ut oliva, myrtus et similia. Sed cum habuerint arbores vel plantae virtutem attrahentem vehementer, erit[11] fructificatio una; quam si non habuerint, utetur[12] natura digestione vicissim, et in qualibet[13] digestione fructum producunt, et ideo quaedam[14] plantae saepe in anno fructificant. Planta vero, quae est sicut natura aquae, vix fructificat propter dominium humiditatis suae et amplitudinem meatuum suorum et fluxibilitatem suarum radicum; cumque incanduerit[15] calor, festinabitur ejus digestio, et subtiliabitur propter aquam, et non[16] coagulabitur; et ita invenietur[17] in omnibus herbis minutis et aliquibus oleribus[18].

Cap. XIV. Venetalitas[19] autem erit in terris vehementer calidis; et erit ibi parum humoris[20], et fient angusti meatus; cumque voluerit natura digerere, non habebit humorem, qui sufficiat[21] materiae, fientque[22] meatus angusti. Revertitur ergo[23] digestio, continebitque eam calor, videbiturque inter albedinem et nigredinem in colore[24]. Quod autem hoc modo fuerit[25], lignum habebit nigrum et omne, quod approximatum fuerit inter albedinem et ebenum[26], et hoc est ab ebeno us-

---

1 G. II omis. — 2 *in superius* Bas. — 3 *materia* G. I. — 4 *siccatur* G. I et II. — 5 *eo* Bas., intercapedine indicata, omis. G. I. — 6 *dicimus* Bas., *prediximus* G. II. — 7 *non cadit planta* G. I et II, *quod dicimus in planta*, omissis intermediis, Bas. Equidem probabilia secutus cum. — 8 *cumque in terra planta* G. II. — 9 *ut apparitione colorabit eam* G. II. — 10 *inde*, omisso *et*, Bas. — 11 *exit* G. II. — 12 *uteretur* G. II. — 13 *qualibus* G. II. — 14 *quidem* G. II. — 15 G. I addit *ejus*; G. II habet *cumque in causa fuerit*. — 16 G. I omis. — 17 *istud invenitur* Bas., *illud invenitur* G. II. — 18 *animalibus* G. II. — 19 *Venerabilitas* G. I, *generalitas* Bas., *venalitas* G. II, *ventalitas sive ventositas* Alb., qui paulo post, Aristotelis, ait, scientiam de lignorum coloribus propter malitiam translationis vix intelligibilem esse; *φαιότης* I. Gr., *color venetus* I. L. R., quae lectio, vel potius interpretatio, optime congruit cum sequentibus: *videbiturque inter albedinem et nigredinem in colore*. Quam ob rem procul dubio legendum puto *venetalitas*. — 20 Sic Alb.; *parum*, omisso *humoris*, G. I et Bas., *fructus de humore* G. II, *fructus ex humore* I. L. R. — 21 *humorem sufficientem* G. II. — 22 *fuerintque* G. I. — 23 *reverliturque* G. II. — 24 *calore* G. II. — 25 *fit* Bas. — 26 G. II addit *utebatur*.

que ad ulna[1]. Et ideo mergitur in aqua, quia partes ejus sunt compactae et meatus angusti, nec aër intrat in illos. Quod autem[2] de lignis album[3] mergitur, erit propter angustiam meatuum et superfluum humorem, qui obturat meatus[4], ut non ingrediatur[5] aër; ergo mergitur. Flos siquid[6] de subtili tantum materia erit[7], quando incipit digestio; et ideo praecedit fructum in plantis ut plurimum. Ostendimus[8] autem causam[9], quare plantae producant folia prius[10] quam fructus. Quod vero[11] in planta angustarum partium fuerit, erit[12] in colore ut lazulum[13], et quando[14] non comprimentur partes ejus[15], ad albedinem declinabit[16], cumque temperatum fuerit, erit glaucum. Quod autem quaedam[17] flores non habent, ut plurimum fit propter diversitatem suarum partium, et suam subtilitatem et asperitatem et[18] grossitudinem. Non ergo habent flores, ut palma et similia.

Cap. XV. Planta vero, quae grossos habet cortices, extenditur propter tensionem[19] humoris et impulsionem caloris; et hoc est in pinu et palma. Sed planta, quae lac emittit, habebit lac in medio, eritque calor subterius[20] fortis, eritque ibi[21] unctuositas; cumque inceperit calor digerere, convertetur unctuositas[22] in illum humorem, et coagulabit ipsum[23] cum coagulatione parva, et calefiet locus, fietque aqua unctuosa similis lacti, elevabiturque vapor ab humore[24], qui attrahit lac illud ad extremitates, et retinebit humor colorem[25] apparentem. Et non coagulabitur illud lac, quia usus est caloris, ut coagulet[26] lac. Et quodlibet lac[27] multae est coagulationis, cum fuerit in arbore frigus apparens. Coagulabi-

1 Sic G. I et Bas.; *ulnam* G. II, *ulmum* Alb. et Int. Lat. R. — 2 *non* G. II. — 3 *de lignis albis* G. II, *de ligno albō* Bas. — 4 G. I verba sex antecedentia omisit. — 5 *egrediatur* Bas. — 6 G. II. omis. — 7 *de subtili quidem mat. cum erit* G. II. — 8 *ut ostendimus. Ostendamus autem* G. II. — 9 *autem, que sit causa* Bas. — 10 *plus* G. I. — 11 *ergo* G. I et II. — 12 G. II omis. — 13 *larissimum* G. II. — 14 *quoniam* G. II. — 15 G. II omis. — 16 *in albedinem declinaverit* G. II. — 17 *quidam* G. II. — 18 *vel* Bas. — 19 *extensionem* I. L. R., *remotionem* G. II. — 20 *subterior* G. I. — 21 G. I omis. — 22 Verba sex antecedentia omiserunt Bas. et G. II. — 23 Verba tria anteced. omis. Bas. — 24 *elevabitque ad humorem*, omisso *vapor*, G. II. — 25 Sic. Alb.; *calorem* Codd. — 26 *coaguletur* Bas. — 27 G. II omis. *et quodlibet lac.*

tur lac, postquam[1] exierit a loco, et inde erit gummi[2]. Gummae vero calidae procedunt distillando, cumque aërem tetigerint, coagulabuntur. Et quaedam[3] manant[4] in loco temperato, et erunt similes aquae; quaedam vero manant et coagulantur, similes lapidibus [vel conchis]. Sed quod guttatim manat, remanet[5] in forma sua, et[6] erit ut arbor, quae dicitur aletafur[7]. Quod vero alteratur ut lapis, erit in apparentia valde frigidum, et faciet calor ipsum[8] apparere, cumque[9] manaverit, lapidescet[10], fietque in[11] terra[12] calida superflue. Arborum autem quaedam alterantur in hieme, fientque quandoque virides quandoque glaucae, et non corrumpuntur folia earum nec fructus, quia arbores, quibus accidit hoc, habebunt calorem grossum, et in barbis inferioribus aquam subtilem. Ergo in processu anni retinebit aqua illa[13] calorem propter frigiditatem aëris; et quia accessit calor ad frigus, impellit[14] calor humiditatem exterius cum eo, qui tinxit colore caloris[15], et apparet ideo color in apparente arboris[16]. Consequenter vertitur frigus et caliditas[17] ad actum, et humor retinet calorem, et ideo apparet alius color.

Cap. XVI. Fructus vero erit amarus, quia calor et humor non sunt completi in digestione; frigus quoque et siccitas impediunt[18], ut compleantur; convertuntur ergo ad amaritudinem. Hujus signum, quod amarum missum in ignem dulcescit. Arbores autem, quae nascuntur in aqua[19] acetosa, faciunt fructum dulcem, quia[20] acetositas attrahit cum calore solis, quod est suae qualitatis, et hoc est frigus et siccitas. Apparent ergo aquae intrinsecae dulces, calefitque venter arboris, quando perseveraverit super eam sol, eritque sapor

1 Sic G. II, quocum Alb. facit; *prinsquam* G. I et Bas. — 2 *erunt*, omisso *gummi*, G. II. — 3 *quidem* G. II. — 4 *manent* Bas. — 5 *remanente* G. II. — 6 Solus habet Bas. — 7 Sic Alb., miro ejus et codicum et editionum in ejusmodi voce consensu; *alliar*, addito interrogandi signo, G. I; *acillfur* Bas.; *alchisur* G. II. Interpretes et Gr. et Lat. R., omisso arboris nomine, gummam ipsam ille *σμήριον*, hic *propolida* vocant. — 8 *eum* Bas. — 9 *cum* Bas. — 10 *lapidescunt* G. II. — 11 G. II omis. — 12 *fietque hoc in terra illa calida* Bas. — 13 *illum* G. II. — 14 *calor et impellit*, omisso *frigus*, Bas. — 15 *exteriusque in eo quidem tinxit caloris calore* Bas. — 16 *calor in apparente aeris vel arboris* Bas. — 17 *siccitas* I. L. R., *siccus* G. II. — 18 G. I et Bas. omis. — 19 G. I. omis. — 20 G. II omis.

fructus acetosus in successione[1], et quando[2] plus digestum fuerit, dissolvetur paulatim acetositas, donec consumetur, apparebitque dulcedo. Erit ergo fructus dulcis, foliaque sua et extremitates acida. Cumque perfecta fuerit maturatio, erit amarus; et hoc est propter superfluum calorem cum pauco humore. Et consumitur humor, facitque fructus[3] calorem ascendere, eritque amarus, eruntque nuclei ejus pyramidales propter attractionem caloris superius, et frigiditatis et humoris inferius, quae sunt ex genere aquae acetosae, remanetque[4] humor in medio, inspissabiturque medium[5] et graciliantur extremitates. Arbores vero, quae fuerint[6] in terris temperatis, accelerant maturationem ante dies vernales, quia calor quando fuerit prope temperantiam, fueritque humor[7] apparens, aërque clarus, non egebit fructus multo calore in digestione. Festinat ergo ejus maturatio, provenitque[8] ante dies vernales. Omnibus quidem[9] arboribus, cum primum plantatae fuerint, dominabitur amaritudo vel ponticitas. Causa, humor quando fuerit in extremitatibus illarum, et digesserit loca[10], quae sunt in medio arborum, de quibus erunt materiae[11] [fructus[12]], proveniet siccitas, et consequetur[13] humorem, fietque[14] prima digestio acida vel amara vel pontica. Causa, quia in[15] calore et humore est digestio, cumque[16] vicerit humor vel[17] siccitas calorem, erit[18] ex eo fructus in principio non bene digestus; et ideo generatio fructuum in principio est[19] praeter dulcedinem[20].

Cap. XVII. Myrobalanorum[21] vero[22] arbores[23] sunt in principio, cum apparuerint fructus, dulces, consequenter pontici, et in completione[24] amari. Causa ejus, quia[25] arbor ejus[26] rara nimis[27], et in hora digestionis, cum sint[28] mea-

---

1 *fructus in succione*, omisso *acetosus*, Bas. — 2 *quanto* G. I. — 3 *fructum* Bas. — 4 *manet* G. II. — 5 *inspissatur et graciliantur*, omisso *medium*, G. I. — 6 *arboresque fiunt* G. II. — 7 Bas. omis. — 8 *provenit* Bas. — 9 *quidam* Bas. — 10 *loco* G. II. — 11 *exit modo* G. II. — 12 Solo legitur G. II. — 13 *sequetur* G. II. — 14 *fuitque* G. I. — 15 *cum* Bas. et G. II. — 16 *cum* G. II. — 17 *et* G. II. — 18 *eritque* G. II. — 19 G. I verba decem praecedentia, Bas. tantum *est*, omiserunt. — 20 *ex dulcedine* Bas. — 21 *mirabolanorum* G. I, II et Bas. — 22 G. I omis. — 23 *arboris* G. I. — 24 *complexione* Bas. — 25 *ejus, quia* omiserunt Bas. et G. II. — 26 *arbores* Bas.; *arbor ejus est* G. II. — 27 G. II omis. — 28 *fiunt* Bas., *fuerint* G. II.

tus ampli[1], sequetur calor[2] humorem, et maturabit fructum. Erit ergo in principio dulcis. Consequenter attrahit calor siccitatem sibi similem, et angustabit meatus, vincentque frigiditas[3] et siccitas calorem et humorem. Alterabitur ergo fructus ad ponticitatem. Vincetque sol cum[4] calore per attractionem superfluam siccitatis in semine illo, qui est in apparenti arborum[5], vincetque frigus siccitatem. Erit ergo fructus fortis ponticitatis. Deinceps vero[6] ascendet calor naturalis sursum, et adjuvabit eum calor solis extrinsecus. Vincent ergo calor et siccitas[7] et erit fructus amarus.

Explicit liber de vegetabilibus[8].

---

1 *amplius* G. II. — 2 *calor et* Bas. — 3 *fragilitas* Bas. — 4 *vincentque solem* Bas. — 5 G. II omisit verba duodetriginta antecedentia, inde ab *vincentque frigiditas et siccitas.* — 6 *deinde non* G. II. — 7 *vincit calor siccitatem* G. II. — 8 *de plantis* G. II. Totam formulam finalem omisit G. I.

ADNOTATIONES.

---

p. 5 *l.* 3. ***Liber I.*** — De opusculi bipartiti in libros divisione et codd. mss. et editt., excepta Latina illa operum Aristotelis Venetiana Gregorii de Gregoriis, de qua cf. praefatio nostra, et commentator denique princeps, Albertus Magnus, conveniunt. In capitum vero distinctione scribarum librariorumque quisque suo indulsit ingenio. Nos, haud neglecto eo, quem editiones recentiores exhibent, capitulorum numero, Albertum tamen sequamur, cujus gratia, ut praefatus sum, hanc provinciam suscepi, librorumque tractatuumque capitulorumque inscriptiones ab ipso propositas subjungamus. Est autem hic apud Albertum lib. I *de vegetabilibus*, ***cujus*** tract. I ***est: an vivat planta, vel non.***

p. 5 *l.* 4. ***Cap. I.*** — Albert. l. c. cap. I: ***de opinionibus eorum, qui vitam et animam plantis inesse dixerunt.***

p. 5 *l.* 5. ***In plantis vero occulta.*** — Aristoteles, cujus varios libros Nicolaus hujus libri initio compilavit, similia his non raro, e. g. hist. anim. lib. VIII cap. 1, eadem, ni fallor, nusquam dixit. Codicis quidem Basil. nota marginalis prodit, ***eadem innuisse Aristotelem physicor. lib. VII cap. 2, quo de animatorum inanimatorumque alteratione locutus sit;*** mihi tamen haec minime huc pertinere visa sunt.

p. 5 *l.* 9. ***Abrucalis.*** — Albertus, qua ratione nescio, ***Protagoram*** (non Pythagoram, nt editt. perperam scribunt) esse contendit; Jordanus, consonantibus nominis ele-

mentis innixus, quae Arabes fere sola curare notum est, *Proclum* mavult. Veruntamen *Empedoclem* esse, ut et interpretes et Graecus et Latinus recentior bene senserunt, post comparata inter se placita a Nicolao Abrucali ab aliis Empedocli tributa non dubitaveris.

p. 5 *l.* 11. *Anaxagoras animalia esse has.* — Plutarch. quaest. natur. 1: ζῶον γὰρ ἔγγειον τὸ φυτὸν εἶναι, οἱ περὶ Πλάτωνα καὶ Ἀναξαγόραν καὶ Δημόκριτον οἴονται: *animal terrae affixum esse plantam, et Plato et Anaxagoras et Democritus eosque secuti putarunt.* Et ipse Anaxagoras apud Simplic. in physic. fol. 33 column. 6: ὅσα τε ψυχὴν ἔχει, καὶ τὰ μέζω καὶ τὰ ἐλάσσω, πάντων νόος κρατέει. *Quaecunque animam habent, et majora et minora, eorum mens compos est.* Ad quae alludit Arist. de anim. lib. I cap. 2.

p. 5 *l.* 12. *Flexum foliorum.* — Ita scribendum duxi ea potissimum de causa, quia Alfredus ubique *fluxum* foliorum dicit *casum*, foliaque *fluentia* de arbore *cadentia.* Accedit, quod fluxus foliorum emarcidorum nihil facere videtur ad manifestandum plantarum desiderium; *flexus* vero eorundem *ad solem versus* vel plurimum. Copiosior hac de re, nec sine admiratione, Theophrastus hist. plant. lib. I cap. 10 et de caus. plant. lib. II cap. 19. Neque ab eadem longe abesse videntur, quae Pseudo-Plutarchus de placit. philos. lib. V §. 26 et Platoni et Empedocli, Pseudo-Galenus hist. philos. cap. 38 Stobaeusque eclog. physic. lib. I cap. 48, iisdem verbis usi, et Thali et Platoni tribuerunt. Πλάτων, Ἐμπεδοκλῆς καὶ τὰ φυτὰ ἔμψυχα καὶ ζῶα· φανερὸν δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ σαλεύεσθαι καὶ ἐντεταμένους [ἀνατεταμένους? Karsten ad Empedocl. pag. 460] ἔχειν τοὺς κλάδους, καὶ ἐν ταῖς ἐπαναγωγαῖς εἴκειν, καὶ πάλιν σφοδρῶς ἀνα χαλᾶσθαι, ὥστε καὶ συνέλκειν βάρη. *Plato, Empedocles dicunt, plantas quoque animatas et animalia esse, eo argumento, quod tremant, ramosque habeant expansos, qui inflexi cedant, tum tanta vehementia rursus sese extendant, ut pondera secum ferant.*

p. 5 *l.* 13. *Sexum in his permixtum.* — Cf. adnot. ad. cap. 6, quo eadem recurrunt.

p. 5 *l.* 14. ***Plato*** etc. — Cujus de plantis placita, non leviter tamen ab his recedentia, vid. in adnot. ad cap. seq.

p. 5 *l.* 14. ***Siquidem.*** — Cum hac conjunctione tum *siquid*, inter quas codd. mss. saepe non rite distinguunt, Alfredus ubique ita usus est, ut nihil differant a *quidem*. Locos reliquos vid. in indice.

p. 6 *l.* 12. ***Cap. II.*** — Alb. III: *in quo arguuntur, qui plantas animam sensibilem habere dicebant.*

p. 6 *l.* 13. ***Dicit Plato.*** — In codd. *ergo* g̊, *Plato* pl° scribi solet. Hujus autem, quem mox *mirabilem* vocat, nec suam auctor sententiam profert. Quam ob rem lectionem vulgarem *dico ergo* in *dicit Plato* mutare ausus sum. Locus vero Platonis classicus de plantis est in Timaeo edit. Bip. pag. 77. B. *Πᾶν γὰρ, ὅτι περ ἂν μετάσχῃ τοῦ ζῆν, ζῶον μὲν ἂν ἐν δίκῃ λέγοιτο ὀρθότατα· μετέχει γε μὴν τοῦτο, ὃ νῦν λέγομεν, τοῦ τρίτου ψυχῆς εἴδους, ὃ μεταξὺ φρενῶν ὀμφαλοῦ τε ἱδρῦσθαι λόγος· ᾧ δόξης μὲν λογισμοῦ τε καὶ τοῦ μέτεστι τὸ μηδὲν, αἰσθήσεως δὲ ἡδείας καὶ ἀλγεινῆς μετὰ ἐπιδυμιῶν. πάσχον γὰρ διατελεῖ πάντα. στραφέντι δ' αὐτῷ περὶ αὑτὸ, τὴν μὲν ἔξωθεν ἀπωσαμένῳ κίνησιν, τῇ δ' οἰκείᾳ χρησαμένῳ, τῶν αὑτοῦ τι λογίσασθαι κατιδόντι φύσιν οὐ παραδέδωκεν ἡ γένεσις. διὸ δὴ ζῇ μὲν, ἔστι δὲ οὐχ ἕτερον ζώου. μόνιμον δὲ κατεῤῥιζωμένον πέπηγε, διὰ τὸ τῆς ὑφ' ἑαυτοῦ κινήσεως ἐστερῆσθαι·* i. e. Ficino interprete: *quidquid enim vitae est particeps, jure animal nominabitur. Quod autem nunc dicimus, tertiae animae speciei est particeps, quam inter diaphragma et umbilicum locavimus; cui opinio ratio mens nulla penitus inest, sensus vero suavis et tristis una cum cupiditatibus convenit, omnia siquidem continue patitur. Cum vero in se ipso ad semet convertatur, externumque respuat motum, et proprio motu domesticoque utatur, idcirco huic natura non tribuit, ut, quicquam pensi habens, suorum aliquid consideraret. Quapropter vita quidem fungitur, nec est animali diversum; quia vero illa vi, qua quid se ipsum transfert, orbatum fuit, stetit rigens, et fixum radicibus haesit.* Quem locum

non, quasi Nicolai verbis respondeat, dedi; sed ut utriusque doctrinae, et Platonicae genuinae, et attributae Platoni, differentia in conspectum veniat.

p. 6 *l.* 17. ***Anaxagoras autem et Democritus et Abrucalis illas intellectum intelligentiamque habere dicebant.*** — Nescio an haec spectent ad Arist. de anim. lib. I cap. 2, quo his quidem propinqua, nec tamen eadem legimus: *Democritum animam et intellectum* (ψυχὴν καὶ νοῦν) *simpliciter idem esse putasse. Anaxagoram, non ubique, quibusdam tamen locis, intellectum* (νοῦν) *esse animam* (ψυχὴν), *cunctisque animalibus, tam parvis quam magnis, tam plus quam minus praestabilibus eum inesse. Empedoclem denique, animam non solum elementis constare, sed ipsorum elementorum quodque esse animam.* Verum ipsius *Anaxagorae* verba paulo antea dedimus; *Empedoclis* verba servavit Sextus Empiricus advers. logic. II § 286. edit. Fabric. pag. 512: ὃ δὲ Ἐμπεδοκλῆς ἔτι παραδοξότερον πάντα ἠξίου λογικὰ τυγχάνειν, καὶ οὐ ζῶα μόνον, ἀλλὰ καὶ φυτὰ, ῥητῶς γράφων·

Πάντα γὰρ ἴσθι φρόνησιν ἔχειν, καὶ νώματος αἶσαν·

i. e. *Empedocles vero adhuc magis paradoxe omnia censebat ratione praedita, nec solum animalia, sed etiam plantas, expressis verbis scribens: omnia enim scias intellectus et mentis esse consortia.*

p. 6 *l.* 20. ***Dico ergo, quod plantae nec sensum habent nec desiderium.*** — Derivata videntur cum haec tum reliqua hujus capitis ex Arist. de anima lib. II cap. 3 et 4, licet, demtis aliis, aliis additis, totoque rerum ordine perturbato, interpolata.

p. 7 *l.* 1. ***Sicut signa, per quae scimus, eas nutriri et crescere.*** — Locus certe corruptus. Dicendum erat: *sicut nutritio atque incrementum signa sunt, per quae scimus, eas habere animam.* Sic enim auctorem argumentatum esse, proxime sequentia docent.

p. 7 *l.* 6. ***Sensus est causa illustrationis vitae,*** — i. e. vitam reddit perfectiorem, licet vivens eo

carere possit. Quae fusius tractavit Arist. de anima lib. III, cap. 12.

p. 7 l. 9. *Cap. III.* — Alberto IV: *de positionibus eorum, qui negant vitam esse in plantis.*

p. 7 l. 11. *Plantam, si sit vivens, esse animal.* — Eorum, qui plantas vivere negant, conclusio fere haec est: quod est *vivens* seu ζωὸν, est animal seu ζῶον; planta non est animal, quia non sentit, ergo etiam non vivit. Sin secus esset, planta foret quasi medium inter viventia sive animalia et non viventia.

p. 7 l. 14. *Quamquam sunt* etc. — Incipit illorum, qui plantas vivere negant, refutatio. Quemadmodum animalia nonnulla, propterea quod intellectu careant, animalia esse non desinant, sic etiam plantas, licet sensus, tamen non vitae expertes esse. Sed cf. lectt. var.

p. 7 l. 19. *Conchylia* etc. — Cf. Arist. hist. anim. lib. VIII. cap. 1.

p. 8 l. 4. *Sunt, quae ex arboribus crescunt.* — Plures animalium diversitates enumerantur, ut appareat, solum esse *sensum*, quo inter se omnia conveniant. Eaedem diversitates apud Arist. in hist. anim. occurrunt, excepta ultima, quae praeter naturam. Ad quam fingendam sequens fortasse Aristotelis locus non satis intellectus occasionem praebuit. Hist. anim. lib. V cap. 1: τῶν ζώων τὰ μὲν ἀπὸ ζώων γίνεται..., τὰ δ' αὐτόματα καὶ οὐκ ἀπὸ συγγενῶν, καὶ τούτων τὰ μὲν ἐκ γῆς σηπομένης καὶ φυτῶν, ὥσπερ πολλὰ συμβαίνει τῶν ἐντόμων, τὰ δὲ κ. τ. λ. i. e. *animalium alia ab animalibus generantur..., alia sponte sua nec a congeneribus, quorum alia ex terra putrida vel plantis, sicuti insectorum multis accidit, alia* etc. Quibus comparatis, verba *quae ex arboribus crescunt* interpretarer: *quae truncis arborum putridis generantur.*

p. 8 l. 5. *Cap. IV.* — Alberto V: *de contradicendo his, qui plantas animatas esse negant.*

p. 8 l. 5. *Quid ergo* etc. — Post enumeratas antecedenti capite species animalium diversissimas quidem, attamen in eo convenientes, quod sentiant, jam nunc ad cor-

pora coelestia progreditur oratio, quae, quamvis nullis mutationibus, nullis passionibus prorsus subjecta, optimam tamen vitam et quasi divinam degere, Aristoteles, de cael. lib. I cap. 9 et al. docuerat. Quibus itaque antea proposita animalium plantarumque differentia, a sensu ejusque privatione petita auferri, plantaque corporibus coelestibus magis quam ipsis animalibus appropinquare videtur. At coelum sponte movetur, planta immobilis est; quo fit ut, hac etiam utriusque similitudine destituti, vivatne planta an non vivat, incerti haereamus.

p. 8 *l.* 11. *Non enim continet illas res una communis.* — Coeli, animalis, plantaeque vita, quum nulla re inter se conveniant, non ejusdem generis (puta vitae ipsius) species esse videntur.

p. 8 *l.* 23. *Aliqua pars animae.* — Partes seu potentiae animae, auctore Aristotele de anim. lib. II cap. 3, sunt *nutritivum*, *sensitivum*, *appetitivum*, *loco motivum*, *intellectivum*; quarum quidem plantis est *nutritivum* duntaxat.

p. 9 *l.* 5. *Quod habet animam.* — Primo quidem intuitu lectio *quod non hab. anim.* tibi arrideat. Non autem de eo dicitur motu, quo planta moveatur, sed potius de eo, quo ipsa nutrimentum movet sive attrahit. Recte igitur Albertus sic interpretatur: *Potest etiam aliquis dicere contra istos, qui negant plantas habere animam, secundum Platonem solvens objecta eorum, quod planta habet animam.* Jam enim eo auctor revolvitur, quod cap. 2 demonstraverat, Platonem plantis animam jure, injuria sensum tribuisse.

p. 9 *l.* 15. *Tali, quale est illud,* — *taliter commixto cibo, qualiter et substantiae eorum commixtae sunt.* Albert.

p. 9 *l.* 17. *Cap. V.* — Alb. VI: *de rationibus Aristotelis, quibus probat, plantis neque sensum neque somnum inesse.*

p. 9 *l.* 19. *Et quod resolvitur ab ea.* — Tripliciter haec verba interpretati sunt. Codex G. II addit *anima plantae*, quod pro inepti cujusdam rescribentis addi-

tamento habeo. I. Gr. εἴ τι ἀναλύεται ἀπ᾽ αὐτοῦ τοῦ φυτοῦ, ὅσον εἰς πνοήν. Quocum convenit I. Lat. R.: *si quid ab ea in spiritum resolvatur.* Albertus vero de somno atque vigiliæ intelligit: *sicut causatur somnus in animali ab eo, quod resolvitur a loco digestionis per evaporationem.* Equidem utramque probo sententiam, quum quidem auctor utriusque, et spiritus et somni, simul meminisse soleat, e. g. cap. I et hoc ipso capite.

p. 9 *l.* 20. *Licet Anaxag. dixerit, ipsam habere spiritum.* — Idem ejusdem placitum tetigit Arist. de respir. cap. 2 his verbis: Ἀναξαγόρας δὲ καὶ Διογένης, πάντα φάσκοντες ἀναπνεῖν· i. e. *Anaxagoras autem atque Diogenes, omnia dicentes spirare,* etc.; unde colligere licet, eosdem plantis quoque respirationem tribuisse.

p. 9 *l.* 21. *Invenimus multa animalia, quae non habent spiritum.* — Arist. de respir. cap. I: ἔτι δὲ πάντα τὰ ζῷά φασιν ἀναπνεῖν· τοῦτο δ᾽ οὐκ ἔστιν ἀληθές· i. e. *tum vero cuncta animalia dicunt spirare, quod non est verum.* Et postea eos, qui pisces spirare putabant, arguit, quum aqua aërem non contineat.

p. 9 *l.* 22. *Invenimus visibiliter, quod plantae non dormiunt* etc. — Arist. de somn. et vigil. cap. I ad finem: ὅτι μὲν οὖν ὕπνου κοινωνεῖ τὰ ζῷα πάντα, φανερὸν ἐκ τούτων. τῷ γὰρ αἴσθησιν ἔχειν ὥρισται τὸ ζῷον, τῆς δ᾽ αἰσθήσεως τρόπον τινὰ τὴν μὲν ἀκινησίαν καὶ οἷον δεσμὸν τὸν ὕπνον εἶναί φαμεν, τὴν δὲ λύσιν καὶ τὴν ἄνεσιν ἐγρήγορσιν. τῶν δὲ φυτῶν οὐδὲν οἷόν τε κοινωνεῖν οὐδετέρου τούτων τῶν παθημάτων. ἄνευ μὲν γὰρ αἰσθήσεως οὐχ ὑπάρχει οὔθ᾽ ὕπνος οὔτ᾽ ἐγρήγορσις. οἷς δ᾽ αἴσθησις ὑπάρχει, καὶ τὸ λυπεῖσθαι καὶ τὸ χαίρειν· οἷς δὲ ταῦτα, καὶ ἐπιθυμία. τοῖς δὲ φυτοῖς οὐδὲν ὑπάρχει τούτων. σημεῖον δ᾽ ὅτι καὶ τὸ ἔργον τὸ αὑτοῦ ποιεῖ τὸ θρεπτικὸν μόριον ἐν τῷ καθεύδειν μᾶλλον ἢ ἐν τῷ ἐγρηγορέναι· τρέφεται γὰρ καὶ αὐξάνεται τότε μᾶλλον, ὡς οὐδὲν προσδεόμενα πρὸς ταῦτα τῆς αἰσθήσεως· i. e. *Somnum igitur animalibus omnibus esse communem, manifestum ex his. Eo enim, quod sensum habeat, definitum est animal, sensus autem quodammodo immobilitatem et quasi vinculum somnum*

esse dicimus, contra solutionem remissionemque vigiliam. Plantis vero neutra harum affectionum communis esse potest, quippe cum citra sensum neque somnus neque vigilia detur. At quibus sensus competit, iisdem et dolor et voluptas; quibusque haec, iisdem etiam cupiditas: plantis autem nil horum competit. Argumento quod nutritio opus suum dormientibus [animalibus] *melius quam vigilantibus absolvat, et quae nihil ad ea ope sensus egeant.*

p. 9 *l.* 27. ***Et quando cibatur animal*** etc. — Eandem somni vigiliaeque causam proposuit Arist. de somn. et vigil. cap. 3.

p. 10 *l.* 3. ***Quae tum parum dormiunt.*** — Solus I. Lat. R. vel potius quidam ejus glossator addit: *ut in camelo contingit et cervo et consimilibus, prae cerebri scilicet siccitate et meatuum angustia.*

p. 10 *l.* 6. ***Cap. VI.*** — Albert. VII: *de sexu plantarum, secundum dicta antiquorum.* Quo capite quum ad finem usque Aristotelem auctor consectetur, comparationis causa illius verba uno tenore afferre juvabit. Leguntur de gener. anim. lib. I cap. ultimo: *ἐν μὲν οὖν τοῖς ζῴοις πᾶσι τοῖς πορευτικοῖς κεχώρισται τὸ θῆλυ τοῦ ἄῤῥενος, καὶ ἔστιν ἕτερον ζῷον θῆλυ καὶ ἕτερον ἄῤῥεν, τῷ δὲ εἴδει ταὐτόν, οἷον ἄνθρωπος ἀμφότερα. ἐν δὲ τοῖς φυτοῖς μεμιγμέναι αὗται αἱ δυνάμεις εἰσί, καὶ οὐ κεχώρισται τὸ θῆλυ τοῦ ἄῤῥενος· διὸ καὶ γεννᾷ αὐτὰ ἐξ αὑτῶν, καὶ προΐεται οὐ γονὴν ἀλλὰ κύημα, τὰ καλούμενα σπέρματα. καὶ τοῦτο καλῶς λέγει Ἐμπεδοκλῆς ποιήσας·*

„οὕτω δ' ᾠοτοκεῖ μακρὰ δένδρεα, πρῶτον ἐλαίας“·

τό τε γὰρ ᾠὸν κύημά ἐστι, καὶ ἔκ τινος αὐτοῦ γίγνεται τὸ ζῷον, τὸ δὲ λοιπὸν τροφή, καὶ τοῦ σπέρματος ἐκ μὲν μέρους [Wimm.; *καὶ ἐκ τοῦ σπέρματος καὶ ἐκ μέρους* Bekk.] *γίγνεται τὸ φυόμενον, τὸ δὲ λοιπὸν τροφὴ γίγνεται τῷ βλάστῳ καὶ τῇ ῥίζῃ τῇ πρώτῃ. τρόπον δέ τινα ταὐτὰ συμβαίνει καὶ ἐν τοῖς κεχωρισμένον ἔχουσι ζῴοις τὸ θῆλυ καὶ τὸ ἄῤῥεν. ὅταν γὰρ δεήσῃ γεννᾷν, γίνεται ἀχώριστον, ὥσπερ ἐν τοῖς φυτοῖς, καὶ βούλεται ἡ φύσις αὐτῶν ἓν γίνεσθαι· ὅπερ ἐμφαίνεται κατὰ τὴν ὄψιν μιγνυμένων καὶ συνδυαζομένων ἕν τι*

ζῶον γίνεσθαι ἐξ ἀμφοῖν..... καὶ ἀτεχνῶς ἔοικε τὰ ζῶα ὥσπερ φυτὰ εἶναι διαιρετά, οἷον εἴ τις κἀκεῖνα, ὅτε σπέρμα ἐξενέγκειεν, διαλύσειεν καὶ χωρίσειεν εἰς τὸ ἐνυπάρχον θῆλυ καὶ ἄρρεν. καὶ ταῦτα πάντα εὐλόγως ἡ φύσις δημιουργεῖ. τῆς μὲν γὰρ τῶν φυτῶν οὐσίας οὐδέν ἐστιν ἄλλο ἔργον οὐδὲ πρᾶξις οὐδεμία πλὴν ἡ τοῦ σπέρματος γένεσις, ὥστ', ἐπεὶ τοῦτο διὰ θήλεος γίνεται καὶ τοῦ ἄρρενος συνδεδυασμένων, μίξασα ταῦτα διέθηκε μετ' ἀλλήλων. διὸ ἐν τοῖς φυτοῖς ἀχώριστον τὸ θῆλυ καὶ τὸ ἄρρεν. ἀλλὰ περὶ μὲν φυτῶν ἐν ἑτέροις ἐπέσκεπται. τοῦ δὲ ζῴου οὐ μόνον τὸ γεννῆσαι ἔργον· τοῦτο μὲν γὰρ κοινὸν τῶν ζώων πάντων· ἀλλα καὶ γνώσεώς τινος πάντα μετέχουσι, τὰ μὲν πλείονος, τὰ δ' ἐλάττονος, τὰ δὲ πάμπαν μικρᾶς. αἴσθησιν γὰρ ἔχουσιν, ἡ δ' αἴσθησις γνῶσίς τις..... διαφέρει δ' αἰσθήσει τὰ ζῶα τῶν ζώντων μόνον. ἐπεὶ δ' ἀνάγκη καὶ ζῆν ἐὰν ᾖ ζῶον, ὅταν δεήσῃ ἀποτελεῖν τὸ τοῦ ζῶντος ἔργον, τότε συνδυάζεται καὶ μίγνυται καὶ γίνεται ὥσπερανεὶ φυτὸν, καθάπερ εἴπομεν· — i. e. *In omnibus igitur animalibus gressilibus femininum a masculino distinctum est, estque animal aliud femininum, aliud masculinum, specie vero utrumque idem, quemadmodum homo* [est] *utrumque. At in plantis vires istae mixtae sunt, neque femina distincta a mare; quam ob rem ex se ipsae progenerant, nec genituram emittunt sed conceptum, quod semen vocatur. Idque bene Empedocles cecinit: „Sic etiam ova pariunt arbores altae, primum olivas.“ Ovum enim conceptus est, cujus ex parte gignitur animal, reliquum vero alimentum est; nec non ex seminis parte gignitur vegetabile, reliquum vero alimentum fit germini atque radici primae. Quodammodo eadem quoque eveniunt animalibus, quorum et femina et mas distincta sunt; quae, quando coitum exercent, inseparata redduntur, ut in plantis* [et mas et femina sunt inseparata], *unumque fieri* [ex ambobus] *eorum natura nititur, sicuti oculis percipitur, cum misceantur et coeant, singulum animal fieri ex ambobus..... Et profecto videntur animalia aeque ac plantae posse dividi, perinde quasi has, postquam semen tulerint, dissolvas et separes in feminam et mas,*

quibus [commixtis] *constent. Atque haec omnia recte natura comparat. Plantarum enim non aliud munus nec alia actio est, nisi seminis generatio; quocirca, quum haec feminae marisque coitu efficiatur, miscuit eos natura inter se; quapropter in plantis femina et mas sunt indistincta. Sed de plantis alibi disputatum est. Verum animalis munus non solum generare, quod quidem omnium viventium est; sed etiam cognitionis cujusdam unumquodque est particeps, aliud majoris, aliud minoris, aliud minimae. Sensum etenim habent, sensusque aliqua cognitio est.... Sensu autem animalia differunt ab iis, quae tantum vivunt. Quum autem necesse sit, quodcunque animal etiam vivere, simulac ea viventium munere fungi oportet, coëunt atque miscentur et quasi plantae fiunt, ut dictum est.* — De leviori illa textus Aristotelici emendatione cf. Wimmeri phytologiae Aristotelicae fragmenta, p. I pag. 57.

p. 10 *l.* 10. ***Masculus quando generat, in alio generat, et femina quando generat, ab alio generat.*** — Arist. de gener. anim. lib. I cap. 2: ἄῤῥεν μὲν γὰρ λέγομεν ζῶον τὸ εἰς ἄλλο γεννῶν, θῆλυ δὲ τὸ εἰς αὑτό· i. e. *masculum enim dicimus animale, quod in alio generat, femininum autem, quod in se ipso.*

p. 10 *l.* 15. ***Et debemus inquirere, utrum inveniantur illae duae species simul conjunctae in unum esse in plantis, sicut dixit Abrucalis.*** — Placitum illud, plantas vere androgynas esse, Empedocli nemo, quod sciam, praeter nostrum auctorem tribuit. Unde tamen non sequitur, eum ipsius Empedoclis poema legisse; sed longe probabilius est, eum sibi hanc opinionem ex laudato Aristotelis loco, minus recte intellecto, finxisse. Quae tamen quomodocunque sint, optimo saltem jure auctor tunc temporis, genitalibus plantarum nondum cognitis, contra illam Empedoclis opinionem sive veram sive fictam disputare poterat, nec certe cli Karstenii (philos. vet. Graecor. reliq. vol. II pag. 462) reprehensionem meruit, eum idem placitum, quod scilicet probasset Aristoteles, argutius refellisse. Nusquam enim Aristoteles plantas vere *androgynas*

esse docuit, sed, quod paulo infra et noster, utriusque sexus *vires* ita confusas esse in plantis, ut neutrius vel organa vel opera genitalia separatim appareant.

p. 11 *l.* 3. ***Estque principium cibi*** etc. — Aliam brevi tangit rationem, qua quis cum Anaxagora plantarum generationem ad aliquam utriusque sexus actionem referre posset.

p. 11 *l.* 5. ***Anaxagoras dixit, quod earum frigus est ab aëre.*** — Summa loci difficultas conjecturam paulo audaciorem excusabit. Sive enim ***frigus***, sive ***humiditas*** legam, quid sibi auctor voluerit, minime percipio, nullum sententiarum connexum detego, neque ejusmodi Anaxagorae placitum ab alio quodam scriptore servatum reperio. Vellem sane: ***Anaxagoras dixit, quod earum semina sunt ab aëre.*** Haec enim sequentibus optime convenirent, suffulta insuper Theophrasti verbis, hist. plant. lib. III cap. 1: *Ἀναξαγόρας μὲν τὸν ἀέρα πάντων φάσκων ἔχειν σπέρματα, καὶ ταῦτα συγκαταφερόμενα τῷ ὕδατι γεννᾷν τὰ φυτά·* i. e. ***Anaxagoras dicebat, aërem omnium rerum continere semina, quibus una cum aqua delatis generari plantas.*** At cui verborum mutationi Latina lingua adversatur, eidem Arabica eo magis favere videtur. ***Frigus*** enim est برد, ***semen*** autem بذر, ita ut, neglecto puncto diacritico, utrumque vocabulum iisdem tribus elementis constet, quorum duo, ر et د in codd. mss. saepius confunduntur.

p. 11 *l.* 6. ***Lechineon.*** — Mirifice viros doctos haec vox exercuit. Vulgo in editt. Arist. legitur *πρὸς Λεχίνεον, ad* Lechineon, quasi Anaxagorae liber sit ad Lechineon quendam scriptus; qua de opinione adhuc nuperrime cl. Brandis in Handb. d. Gesch. d. Griech. Röm. Philos. tom. I. p. 237 disseruit. Codices vero mss. cum mei tum, quibus Jordanus usus est, Parisienses, pariterque Alberti Magni et codd. mss. et editt., praepositionem illam ante vocem Lechineon non offerunt, perinde ac Lechineon philosophi cujusdam ab Anaxagora diversi nomen sit. Quem Albertus ***Lycophronem*** esse, ***quem Arabes corrupte Leucineom vocent***, asseverat; Jordanus contra l. c. pag. 185 ***Leucippum*** esse suspicatur. Attamen et hae opiniones omni fun-

damento historico omnique verisimilitudine carent. Quum autem ab ipso Jordano edocti simus, Alfredum verba Arabica minus vulgaria haud raro Latinis literis integra rescripsisse, minime necesse est, ut Lechineon pro nomine proprio habeamus, malimque putare, compositum esse ex عون, *aun*, adjutor seu adjutores, quod medio aevo haud dubie *eon* pronunciavere, et ex لقن, *legin*, sapiens, ejusve plurali لقنى, *legna*, sapientes, nomine agentis a radice لقن, *legina*, celeriter intellexit sive sapiens fuit, ita ut sensus esset: *ideoque dicunt sapientes, illum* [Anaxagoram], *adjuvantes.* Ipsam vero sententiam, de qua agitur, *terram matrem plantarum, solem patrem esse*, sequentibus Aristotelis verbis recognovisse mihi videor, de gener. anim. lib. I cap. 2: διὸ καὶ ἐν τῷ ὅλῳ τὴν τῆς γῆς φύσιν ὡς θῆλυ καὶ μητέρα νομίζουσιν, οὐρανὸν δὲ καὶ ἥλιον ἤ τι τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων ὡς γεννῶντας καὶ πατέρας προσαγορεύουσιν· i. e. *quam ob rem in universo quoque terrae naturam quasi femineam matremque statuunt, coelum autem et solem et hujus generis reliqua nomine genitoris patrisque appellant.* — Quibus praemissis, totum Nicolai locum ita rescribam, ut, quantum conjectura assequi potuerim, auctoris cogitationem exprimam: *Estque principium nutritionis plantarum a terra, generationis earum a sole. Quare Anaxagoras dixit, earum semina ex aëre deferri, aliique philosophi, eandem doctrinam profitentes, terram matrem, solem autem patrem plantarum esse.* Quae sic restituta a nemine hercle tanquam inepta arguentur, simulque ostendent, quanta cautione atque temperantia textus libri Arabicus, ne dicam Graecus, quorum utroque hodie caremus, ex versione nostra Latina barbara judicari debeat.

p. 11. *l.* 9. ***Impraegnationi.*** — Κύημα Arist. loco ad capitis initium laudato, ubi idem *conceptum* diximus. — Porro auctor noster ipsius Aristotelis sententiam, ibidem expositam, prosequitur.

p. 11 *l.* 13. ***Dixitque bene Abrucalis, quod arbores altae pullos [non] generant.*** — Ipsius Empedoclis versus jam supra laudatus:

οὕτω δ' ὠοτοκεῖ μακρὰ δένδρεα, πρῶτον ἐλαίας, prorsus contrarium docet; quam ob rem negationem tanquam suspectam uncis inclusi. Utrum vero interpres Arabs pro οὕτω legerit οὗτοι, an Latinus pro particula inseparabili ﻟ, *sane*, *utique*, legerit ﻻ, *non*, in suspenso manebit.

p. 11 *l.* 16. *Et nascens movet se statim.* — Mallem: *quae nasc. mov. se stat.* Nam Aristotelis verba his respondentia sunt: (καὶ τῇ ῥίζῃ) τῇ πρώτῃ. Quum autem Aristotelis τῷ βλαστῷ omissum sit, vereor, ne Alfredus Arabica non recte interpretatus sit.

p. 11 *l.* 20. *Commiscentur vires sexuum, postquam erant separati.* — Eadem verba, paulo infra iterum occurrentia, neutrubi cuncta tolerari possunt; sed pro parte tantum hic, pro parte ibi admissa, sententiam efficiunt Aristotelicae, quam auctor exprimere voluit, satis similem. Cf. Arist. de gener. anim. lib. I cap. ult., quem locum hujus ipsius capitis fronte dedi. Ne vero remedium nostrum nimis temerarium videatur, monebo, meliores meos codices mss. et Bas. et G. I post primum *vires sexuum*, omissis intermediis, statim pergere: *et si natura miscuit* etc.; cod. autem G. II haud raro vel singula vocabula vel integros versus inepte modo repetere modo commiscere.

p. 12 *l.* 8. *Cap. VII.* — Albert. VIII: *de contradictione Aristotelis contra eos, qui plantas perfectas et dormientes esse dixerunt.* — Quae hoc capite continentur, pleraque ex diversissimis disciplinae Aristotelicae particulis congesta videntur.

p. 12 *l.* 9. *Propter duas vires, quas habet.* — Utriusque puta sexus vires.

p. 12 *l.* 9. *Propter cibum, qui adaptatus est ad cibandum illam.* — Arist. de anima lib. III cap. 12: τοῖς μὲν γὰρ μονίμοις ὑπάρχει τὸ (sc. τρέφεσθαι), ὅθεν πεφύκασιν, i. e. *Immobilibus enim adest* (nutrimentum) *eo loco, ubi orta sunt.* Ejusd. de partib. anim. lib. II cap. 3: τὰ μὲν γὰρ φυτὰ λαμβάνει τὴν τροφὴν κατειργασμένην ἐκ τῆς γῆς ταῖς ῥίζαις· διὸ καὶ περίττωμα οὐ γίνεται

τοῖς φυτοῖς· i. e. *Plantae enim cibum jam confectum ex terra per radices hauriunt; quare nulla plantarum excrementa.* Et cap. 10: τὰ μὲν οὖν φυτά (καὶ γὰρ ταῦτα ζῆν φαμέν) τοῦ μὲν ἀχρήστου περιττώματος οὐκ ἔχει τόπον· ἐκ τῆς γῆς γὰρ λαμβάνει πεπεμμένην τὴν τροφήν· ἀντὶ δὲ τούτου προΐεται τὰ σπέρματα καὶ τοὺς καρπούς; i. e. *itaque plantae (nam et has vivere fatemur) supervacanei excrementi locum non habent; etenim ex terra concoctum hauriunt cibum. Sed illius vice semina fructusque fundunt.*

p. 12 *l.* 10. *Longitudinem.... juventus ejus.* — Arist. de long. et brev. vit. cap. 6: ἐν δὲ τοῖς φυτοῖς ἐστὶ τὰ μακροβιώτατα, καὶ μᾶλλον ἢ ἐν τοῖς ζώοις.... περὶ δὲ τοῦ πολυχρόνιον εἶναι τὴν τῶν δένδρων φύσιν δεῖ λαβεῖν τὴν αἰτίαν.... νέα γὰρ ἀεὶ τὰ γίνεται, διὸ πολυχρόνια. ἀεὶ γὰρ ἕτεροι οἱ πτόρθοι, οἱ δὲ γηράσκουσιν· καὶ αἱ ῥίζαι ὁμοίως· ἀλλ' οὐχ ἅμα, ἀλλ' ὁτὲ μὲν μόνον τὸ στέλεχος καὶ οἱ κλάδοι ἀπώλοντο, ἕτεροι δὲ παρεφύησαν· ὅταν δ' οὕτως ὦσιν αἱ ῥίζαι, ἄλλαι ἐκ τοῦ ὑπάρχοντος γίνονται· καὶ οὕτως ἀεὶ διατελεῖ τὸ μὲν φθειρόμενον τὸ δὲ γινόμενον, διὸ καὶ μακρόβια; i. e. *Inter plantas autem reperiuntur, quae diutissime vivunt, idque potius quam inter animalia.... Cur autem arborum natura longaeva sit, causam exponere oportet.... Juvenescunt semper, ergo longaevae sunt, semper enim alia germina fiunt, alia senescunt; pariterque radices; nec tamen simul, sed nonnunquam caudex solus vel surculi periere, aliique renati sunt. Quod quum radicibus accidit, ex eo quod superest fiunt aliae; atque sic unquam neque destrui neque renasci desinunt, quam ob rem sunt longaevae.*

p. 12 *l.* 13. *Non fiet in ea aliquid superfluum,* — i. e. Alberto interprete, ipsiusque Nicolai loco parallelo lib. II cap. 1 comprobante, *excrementa.* Ad quam sententiam spectant loca Aristotelis paulo supra laudata.

p. 12 *l.* 14. *Planta non indiget dormitione, propter multas causas.* — Arist. de somn. et vig. cap. 1 unicam ejusdem rei causam affert: sensibilis animae defectum. Nihilo minus quae insuper noster adstruit, partim

ex Aristotele partim fortasse ex Theophrasto hausta videntur. Sunt autem ni fallor haec: a. Planta non solum *terrae adhaeret*, sed ne eo quidem motu gaudet, quo conchylia saxis affixa (*non habet motum in se*). Quae vero immobilia, ea, auctore Aristotele de anima lib. III cap. 9, sensu carere, quae sensu careant, ea et somno necesse est. b. *Numerus partium plantarum non est definitus*. Quo de argumento Theophrastum hist. plant. lib. I initio diserte egisse notum est; an de eodem et Aristoteles egerit, nescio, nisi huc trahas, quae de vi plantarum ubique nova germina procreandi passim occurrunt. Neuter vero propter numerum partium indefinitum plantas sive sensu sive somno carere jussit. c. *Motus voluntarii defectus*. Verba quidem: *nec motum voluntarium*, postquam plantas radicibus terrae adhaerere dictum esset, superflua videri possent; neque ego ea defendam: sensum autem sanum iis inesse puto. Sensibilem a vegetativa anima Aristoteles appetitu discreverat, quem motus voluntarius manifestaret: ergo *appetitus* loco motum voluntarium a nostro positum esse arbitror. d. *Anima inperfecta*, quae quidem inter quinque illas animae potestates, quas statuit Aristoteles de anim. lib. II cap. 3, et nutritivam (sive vegetativam) et sensitivam, et appetitivam et loco motivam et intellectivam, non nisi nutritivae particeps est. Verba autem saepius occurrentia *partem partis animae* ex Arabismo interpretanda sunt. Inter plurima enim verba Arabica, quae *partem* significant, unum est بعض, quod saepissime loco pronominis *aliquis* quocunque et genere et numero ponitur, e. g. بعض قطعة non est *pars partis*, sed *pars aliqua*, بعضهم non est *pars eorum*, sed *quidam*. Itaque *pars partis animae* est nil nisi *aliqua animae pars*, ut et ipse auctor scripsit cap. 4 hujus libri.

p. 12 *l.* 19. ***Planta non est creata nisi propter animal*** etc. — Arist. de republ. lib. 8: οἰητέον, τά τε φυτὰ τῶν ζώων ἕνεκεν εἶναι καὶ τἆλλα ζῷα τῶν ἀνθρώπων χάριν κ. τ. λ. i. e. *existimandum est, plantas etiam animalium ergo, animalia hominum gratia esse.*

p. 12 *l.* 20. ***Si dixerit aliquis... non interrupto.*** — Hanc observationem, plantas alimento continuo, animalia tantum interrupto egere, cum conclusione inde facta, plantas neutiquam magis liberas esse ab exteris quam animalia, quia cibo minus egeant selecto, neque apud Aristotelem neque apud Theophrastum reperio.

p. 12 *l.* 24. ***Videmus opus animalis.... multas alias.*** — Quae omnino Aristotelica sunt, saepiusque occurrunt, e. g. hist. anim. lib. VIII cap. 1, de anima lib. III cap. 12, etc.

p. 13 *l.* 2. ***Dixitque Abrucalis*** etc. — Tradiderunt idem Empedoclis placitum Plutarchus de placit. philos. lib. V cap. 26, paucisque mutatis Galenus histor. philos. cap. 38: Ἐμπεδοκλῆς πρῶτα τῶν ζώων τὰ δένδρα ἐκ γῆς ἀναδῦναί (sic Plut.; ἐκ τῆς γῆς ἀναφῦναί Galen.) φησι, πρὶν τὸν ἥλιον περιαπλωθῆναι, καὶ πρὶν ἡμέραν καὶ νύκτα διακριθῆναι· i. e. ***Empedocles primum inquit inter animalia arbores ex terra prodiisse (sive procreatas esse), antequam sol circumvolveretur, diesque a nocte discerneretur.*** Cujus placiti Aristoteles nusquam meminit.

p. 13 *l.* 5. ***Mundus totalis est perpetuus*** etc. — Neque haec, licet disciplinae Aristotelis consentanea, apud eundem leguntur.

p. 13 *l.* 7. ***In qualibet specie.... arefiet.*** — Arist. de long. et brev. vit. cap. 5: δεῖ γὰρ λαβεῖν ὅτι τὸ ζῷόν ἐστι φύσει ὑγρὸν καὶ θερμὸν, καὶ τὸ ζῆν τοιοῦτον, τὸ δὲ γῆρας ψυχρὸν καὶ ξηρὸν, καὶ τὸ τεθνικός· φαίνεται γὰρ οὕτως. ὕλη δὲ τῶν σωμάτων τοῖς οὖσι ταῦτα, τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν καὶ τὸ ξηρὸν καὶ τὸ ὑγρόν· ἀνάγκη τοίνυν γηράσκοντα ξηραίνεσθαι· i. e. *animadvertendum enim est, animal vitamque ipsam natura esse humidum et calidum, senectutem contra et quod emortuum est, calidum et siccum; sic enim apparet. Materiam vero corporibus omnibus suppeditant haec, calidum et frigidum et siccum et humidum. Itaque necesse est, quae senuerint arefieri.* Idemque de respir. cap. 17, postquam de morte cum naturali tum violenta disputaverat, sic pergit: τοῖς μὲν οὖν φυτοῖς αὔανσις, ἐν δὲ τοῖς ζῴοις καλεῖται

τοῦτο γῆρας. ἔστι δὲ θάνατος καὶ ἡ φθορὰ πᾶσιν ὁμοίως τοῖς μὴ ἀτελέσιν· τούτοις δὲ παρομοίως μέν, ἄλλον δὲ τρόπον κ. τ. λ. i. e. *apud plantas marcor, apud animalia vero mors vocatur. Est autem mors et corruptio omnibus non imperfectis eadem, his autem similis quidem, sed alio modo etc.* — Unde fortasse apud nostrum verba capitis ultima: *et quidam dicunt hoc corruptionem, quidam non.* Vix enim crediderim, ad eam haec spectare quaestionem, de qua Arist. in libris de gener. et corrupt. egit, mors sitne corruptio an mera mutatio. Sed adhuc propius illis accedit locus Theophr. hist. plant. lib. I cap. 2 § 4: πρῶτα δέ ἐστι τὸ ὑγρὸν καὶ θερμόν. ἅπαν γὰρ φυτὸν ἔχει τινὰ ὑγρότητα καὶ θερμότητα σύμφυτον, ὥσπερ καὶ ζῷον· ὧν ὑπολειπόντων, γίνεται γῆρας καὶ φθίσις· τελέως δὲ ὑπολειπόντων, θάνατος καὶ αὔανσις. i. e. *sunt autem prima humor et calor. Quaelibet enim planta humorem quendam habet atque calorem innatum, ut etiam animal: quae cum deficiunt, senecta existit et tabes; penitus vero cum defecere, mors et exsiccatio.* Cf. etiam ejusd. d. caus. pl. lib. V cap. 18 § 1.

p. 13 *l.* 11. *Cap. VIII.* — Alb. lib. I tractat. II cap. I: *de absoluta diversitate partium arborum, quae potiores sunt in generibus plantarum.* Abhinc ad libri finem usque Nicolaus Theophrastum potissimum spoliavit.

p. 13 *l.* 11. ***Quaedam arbores habent gummi.... gummi Arabicum.*** — Ab humore Theophrastus plantarum partes enumerare coepit, hist. plant. lib. I cap. 2 §. 3. Nicolaum vero respexisse puto ad lib. IX cap. 1 §. 2, ubi inter alias succorum species occurrunt etiam hic dictae.

p. 13 *l.* 13. ***Quaedam arbores nodos habent.... medullam interius.*** — Theophr. l. c. lib. I cap. 2 §. 5 sqq. pro *nodis* et *venis* habet *fibras* et venas, ἶνες καὶ φλέβες; pro *ventre et ligno lignum* et *carnem*, ξύλον καὶ σάρκα. *Corticem* vero atque *medullam* uterque habet. Eaedem partium conjugationes saepius apud utrumque occurrunt; capiteque sequente noster plantarum *nodos* musculis animalium comparat. Unde apparet, hujus *nodis fibras* illius respondere. Nec mirum, quum plura

verba Arabica, quorum, ut reliqua taceam, est مسد, *masad*, plantarum et praecipue palmarum fibras significantia, tum etiam de funibus et vinculis inde contortis usurpari soleant. *Ventris* autem *carnisque* permutatio ex verborum similitudine orta videtur. Etenim idem verbum مَعْد, *mad*, quod fructum plantarumque carnem, paulo aliter pronunciatum, مَعِدّ, *maadd*, ventrem significat.

p. 13 *l.* 17. *Partes arborum simplices.* — Noster tres numerat, *humorem*, *nodos*, *venas*; Theophr. l. c. §. 1 quatuor, *humorem*, *fibras*, *venas*, *carnem.* Unde, quae modo dixi, confirmantur, illius *nodos*, hujus *fibras* esse.

p. 13 *l.* 19. *Haec omnia non inveniuntur in omnibus plantis* etc. — Theophr. l. c. cap. 1 §. 10.

p. 13 *l.* 21. *Habent quoque plantae alias partes, ut* etc. — Eas puto, quas Theophr. l. c. cap. 2 §. 1 annuas vocat, additis *radicibus virgis*que; reliquae enim satis inter se conveniunt. *Foliorum florum*que uterque meminit. Theophrasti μίσχος, *pediculus* (et folii et fructus) nostri est *ramus.* Illius ἕλιξ, *capreolus*, nostri est *rotunditas*, اطلو, quod aeque ac ἕλιξ primum quidquid convolutum vel circinatum est, tum vero vitis capreolum significat. Illius βρύον nostri *pullulatio* est; nam et Graecum illud primum est quidquid pullulans, deinde Theophrasto, ut putant, *iulus* sive quod hodie *amentum* dicere solemus. Restant illius σπέρμα τὸ τοῦ καρποῦ, *semen fructus*, hujus *cortex fructum circumdans*; quae, considerata tanta reliquorum convenientia, quis sibi respondere non videt? licet alterum ab altero quomodo ortum sit, nesciamus.

p. 14 *l.* 3. *Cap. IX.* — Alb. tract. II c. II: *qualiter partes magnarum plantarum proportionantur partibus animalium, et qualiter non.*

p. 14 *l.* 5. *Cortex plantae similis est cuti, ... radix ... ori, ... nodi ... musculis animalis.* — Sub *nodis fibras* intelligendas esse, ad cap. praecedens annotavi. *Radicis* cum *ore* animalium compara-

tio saepius ab Aristotele instituta est, e. g. de anim. lib. II cap. 1: αἱ δὲ ῥίζαι τῷ στόματι ἀνάλογον· *radices vero ori similes sunt.* De juv. et senect. cap. 1: ἀνάλογον γὰρ εἰσιν αἱ ῥίζαι τοῖς φυτοῖς καὶ τὸ καλούμενον στόμα τοῖς ζώοις, i. e. *similis enim sunt plantarum radices ei, quod dicitur animalium os. Corticis* cum *cute, fibrarum* cum *musculis* comparationem nec apud Aristotelem nec apud Theophrastum reperio.

p. 14 *l.* 9. ***Dividuntur ... per partes consimiles et ... dissimiles.*** — Sic etiam Arist. hist. anim. lib. I cap. 1; et Theophr. hist. pl. lib. I cap. I §. 12.

p. 14 *l.* 10. ***Lutum uno modo per terram tantum, et alio modo per aquam.*** — i. e vel in ipsius luti particulas, vel in partes lutum constituentes, et terram et aquam. Idem utriusque in partes vel similares vel dissimilares divisionis exemplum apud Aristotelem, ni egregie fallor, legisse memini, sed ubinam nescio.

p. 14 *l.* 15. ***Sed in his ... est compositio.*** — Elapsa videntur nonnulla, sic fere restituenda: *est compositio tantum ex partibus similibus, ex humore, carne, fibris* e. s. p. Quibuscum sequentia, ex Theophr. cap. 10 et 11 anticipata, de fructuum seminumque ex dissimilibus partibus compositione, optime cohaerent.

p. 14 *l.* 21. ***Summa quidem sermonis est*** etc. — Theophr. l. c. cap. 1 §. 10: ὅλως δὲ πολύχουν τό φυτὸν καὶ ποικίλον, καὶ χαλεπὸν εἰπεῖν καθόλου· i. e. *in totum planta res varia est atque multiplex, inque universum de ea referre difficile.* Quae sequitur apud nostrum praecipuarum difficultatum enumeratio, quasi index est in Theophr. hist. plant. librum primum.

p. 14 *l.* 23. ***Essentiam ejus, et colorem, et tempus durabilitatis ejus et impressiones, quae ei eveniunt.*** — Nimis inepta sunt, quam quae Nicolao imputare liceat. Alfredum autumo accusativos *colorem, tempus, impressiones* perperam posuisse pro genitivis *colorum* etc.

p. 14 *l.* 25. ***Non habent plantae mores animae, nec effectum aequalem effectui anima-***

lis. — Theophr. l. c. cap. 1 § 1: ἤθη γαρ καὶ πράξεις οὐκ ἔχουσιν ὥσπερ τὰ ζῶα, i. e. *moribus enim et actionibus, uti animalia, non utuntur.* Quam ob rem, Theophrasto auctore, consentienteque, ut videtur, Nicolao, facilius est de animalibus quam de plantis disputare.

p. 14 *l.* 26. ***Si proportionaverimus*** etc. — Etsi non dixerit auctor, profecto tamen in animo habuit dicere: *si susciperemus eam de plantarum partibus disputationem, quam ne Theophrastus quidem ad finem perducere valuit,* etc.

p. 15 *l.* 3. ***Pars rei est de suo genere... a sua dispositione recederit.*** — Theophr. l. c. cap. 1 § 2: τὸ μὲν οὖν μέρος, ἅτε ἐκ τῆς ἰδίας φύσεως ὄν, ἀεὶ δοκεῖ διαμένειν, ἢ ἁπλῶς, ἢ ὅταν γένηται, καθάπερ ἐν τοῖς ζώοις τὰ ὕστερον γενησόμενα· πλὴν εἴ τι διὰ νόσον ἢ γῆρας ἢ πήρωσιν ἀποβάλλεται· i. e. *Pars igitur, quippe quae suae ipsius naturae est, perpetuo durare videtur, aut omnino, aut postquam nata est, ut in animalibus ea, quae deinceps nascuntur; nisi quid morbo vel senecta vel mutilatione amittitur.* Vix opus est, ut addam, *speciem* ab Alfredo pro *parte speciali* dictam esse; nisi forsitan accusativum adverbialem Arabicum pro nominativo habuerit. Tunc enim vertendum fuisset: *in sua dispositione specifica.*

p. 15 *l.* 6. ***Et flores ... quaedam vero non sic,*** — i. e. si bene intellexi: *quarundam plantarum flores fructus folia perennant, quarundam annua sunt.* Quis vero unquam flores ultra annum durare vidit? Longe aliter Theophr. l. c. sic pergens: τῶν δ' ἐν τοῖς φυτοῖς ἔνια τοιαῦτ' ἐστὶν, ὥστ' ἐπέτειον ἔχειν τὴν οὐσίαν, οἷον ἄνθος, βρύον, φύλλον, καρπός· i. e. *At in plantis quaedam sunt ejusmodi, ut annua solummodo duratione fruantur, velut flos, iulus, folium, fructus.* Quibus de causis vitia esse puto, idque eo libentius, quia, quae sequuntur —

p. 15 *l.* 8. ***Nec remanent .... propter causam,*** — omni sensu carere videntur. Quodsi vero in tantis tenebris aliquid divinare fas est, totum locum apud Nicolaum sic fere audivisse putarem: ***Quaedam plantarum partes omni anno decidunt, ut flores, fructus et folia; quae-***

dam non, etsi non remanent, ut cortex et corpus illud fibroso-reticulatum sub fronde palmarum (Arabice ليف, *lîf*), *cadens flatu austri fervidi* (Arabice ريج, *raiĕ*), *abjiciente illud propter cauma.* Quid enim hoc loco cum cortice aptius conjungi posset corpore illo palmarum reticulato, diu quidem remanente, sensim sensimque vero defluente? *Raiĕ*, quod medio aevo vix non *re* pronunciassent, est *motus vaporis meridiani in desertis*, Kam. apud Freytagium. *Cauma* denique apud ejusdem aevi medicos Latinos haud raro legisse memini. Quae tamen si minus placent, parum curo.

p. 15 *l.* 10. ***Et non est istud in plantis.*** — Indicare haec verba videntur, priora aut de natura partium in universo, aut de animalibus dicta esse. Unde colligo, quaedam excidisse. Ceterum haec ipsa, et quae sequuntur usque ad *vel extra in alio*, a Theophrasto aliena sunt.

p. 15 *l.* 13. ***Et jam certum est .... non esse partes ejus.*** — Theophr. l. c. l. c.: ὥστε, εἰ μέν τις ταῦτα θήσοι μέρη, τό τε πλῆθος ἀόριστον ἔσται, καὶ οὐδέποτε οὐδὲν τὸ αὐτὸ τῶν μορίων· εἰ δ᾽ αὖ μὴ μέρη, συμβήσεται δι᾽ ὧν τέλεια γίνεται καὶ φαίνεται, ταῦτα μὴ εἶναι μέρη· i. e. *Quam ob rem si quis partes haec esse statuat, et multitudo earum innumera erit, et nulla unquam pars eadem; sin autem non partes esse, continget, quibus perfectae redduntur atque apparent, ea non esse partes.* Quibus apparet, vocem *animal* a nostro vel auctore vel interprete perperam esse additam.

p. 15 *l.* 17. ***Sed folia ... sunt partes ejus.*** — Sic, quae Theophrastus in suspenso reliquerat, a nostro ita, ut res postulabat, deciduntur.

p. 15 *l.* 19. ***Quoniam cornua ... casui foliorum.*** — Theophr. l. c. §. 3: πολλὰ δὲ (ζῶα) καὶ τὰ μέρη κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἀποβάλλει, καθάπερ οἵ τε ἔλαφοι τὰ κέρατα, καὶ τὰ φωλεύοντα τὰ πτερὰ, καὶ τρίχας τετράποδα· ὥστ᾽ οὐδὲν ἄτοπον, ἄλλως τε καὶ ὅμοιον τῷ φυλλοῤῥοιεῖν τὸ πάθος· i. e. *At multa* (animalia) *quoque partes quotannis amittunt, velut cervi cornua, nidifica pennas,*

et pilos quadrupedes; quod minime ineptum, ceteroquin affectio est foliorum defluvio similis.

p. 15 *l.* 23. *Cap. X.* — Alb. tract. II cap. III: *de generali diversitate plantarum, accepta per communia, quae omnibus plantis in genere conveniunt, vel pluribus earum.*

p. 15 *l.* 24. *Incipiamus nominare partes proprias et communes et earum diversitates.* — Theophr. l. c. §. 5: ληπτέον δὲ ἐν αὐτοῖς, ποῖά τε πᾶσιν ὑπάρχει ταὐτὰ, καὶ ποῖα ἴδια καθ' ἕκαστον γένος, ἔτι δὲ τῶν αὐτῶν ποῖα ὅμοια· i. e. *Sunt autem in his tractanda, quae omnibus eadem, quaeve cuique generi propria, tum horum quae similia.* Itaque pro *similitudine* noster *diversitates* posuit.

p. 16 *l.* 2. *Diversitas in multitudine et paucitate, et magnitudine et parvitate, et in fortitudine et debilitate.* — Theophr. l. c. §. 6: ἡ δὲ ἀνισότης (ὁρίζεται) ὑπεροχῇ καὶ ἐλλείψει κατὰ πλῆθος ἢ μέγεθος· i. e. *Inaequalitas autem* (versatur) *in excessu atque diminutione multitudinis magnitudinisve.* Tertium *et fortitudinis et debilitatis* membrum apud Theophrastum desideratur.

p. 16 *l.* 4. *Et hoc est, quia humor* etc. — Memoratu laudeque dignum est, Nicolaum jam hoc loco attulisse, quae de succorum differentiis Theophrastus capite denique duodecimo egisset. Humor enim, Aristotele ipsoque Theophrasto, ut supra ad cap. 7 adnotavimus, auctoribus, plantarum principium est. Sed, ut iis, qui alienas literas compilant, accidere solet, sibi ipse non constat Nicolaus; paulo post, cap. 14 eodem revolutus argumento, eodem utitur fonte, et quamquam de solis fructuum succis agere sibi proponit, revera tamen de diversissimis plantarum succis agit, e. g. de succo origani.

p. 16 *l.* 5. *In quibusdam est ut lac, ut in ficubus.* — Theophr. l. c. cap. 12 §. 2: ἡ μὲν γὰρ (τῶν δένδρων ὑγρότης) ἐστὶν ὀπώδης, ὥσπερ ἡ τῆς συκῆς καὶ τῆς μήκωνος· i. e. *alius enim* (arborum humor) *est lacteus, ut fici atque papaveris.*

p. 16 *l.* 5. ***In quibusdam similis est pici .... ut humor, qui est in vite.*** — Theophr. l. c.: ἡ δὲ πιττώδης, οἷον ἐλάτης, τῆς πεύκης, τῶν κωνοφόρων· ἄλλη δ᾽ ὑδαρής, οἷον ἀμπέλου, ἀπίου, μηλέας· i. e. *alius piceus, ut abietis, pini, coniferarum; alius aquosus, ut vitis, piri, mali.* Quibus ductus, quae nostro deficiunt, uncis inclusa restitui.

p. 16 *l.* 7. ***In quibusdam est origanalis, ut qui est in origano et in planta, quae dicitur opigaidum.*** — Theophr. l. c. αἱ δὲ δριμύτητά τινα ἔχουσι, καθάπερ ἡ τοῦ θύμου καὶ θύμβρας· i. e. *jamque aliae acrimoniam quandam habent, qualis est succus thymi et thymbrae.* De qua nominum corruptione nil habeo, quod afferam. Thymbra Arabibus est صعتر *saâter;* nec ullum plantae nomen Arabicum opigaido simile novi, nisi Ibn-Baitharis عبيثران *âbi-terân* seu عبوثران *âbauterân* huc trahere placet, quorum illud, aliter pronunciatum *ebivaderan*, paulo magis assonat ad Alberti *epigadrium.* Elqaraschio, apud Plempium ad Avic. tom. II pag. 230, *abrotono* simile est; Ibn-Baithari vero (secundum Dietzii excerpta mss.) nil nisi ipsum *abrotonum.*

p. 16 *l.* 9. ***Item est planta .... ut praediximus.*** — Priusquam ad singula accedamus, Theophrastum audiamus, l. c. §. 6: αἱ δὲ τῶν μερῶν διάφοραι σχεδόν, ὡς τύπῳ λαβεῖν, εἰσὶν ἐν τρισίν· ἢ τῷ τὰ μὲν ἔχειν, τὰ δὲ μή, καθάπερ φύλλα καὶ καρπόν· ἢ τῷ μὴ ὅμοια μηδὲ ἴσα· ἢ τρίτον τῷ μὴ ὁμοίως. τούτων δὲ ἡ μὲν ἀνομοιότης ὁρίζεται σχήματι, χρώματι, πυκνότητι, μανότητι, τραχύτητι, λειότητι καὶ τοῖς ἄλλοις πάθεσιν· ἔτι δὲ ὅσαι διαφοραὶ τῶν χυλῶν. ἡ δὲ ἀνισότης ὑπεροχῇ καὶ ἐλλείψει κατὰ πλῆθος ἢ μέγεθος· ὡς δ᾽ εἰπεῖν τύπῳ, κἀκεῖνα πάντα καθ᾽ ὑπεροχὴν καὶ ἔλλειψιν· τὸ γὰρ μᾶλλον καὶ ἧττον ὑπεροχὴ καὶ ἔλλειψις. τὸ δὲ μὴ ὁμοίως τῇ θέσει διαφέρει, κ. τ. λ. i. e. *Partium vero differentiae, ut verbo dicam, tribus fere consistunt: vel quod alias habeant, alias non, velut folia et fructum; vel quod nec similes nec aequales; vel tertio quod non similiter. Harum dissimilitudo quidem ver-*

satur in figura, colore, spissitate, raritate, asperitate, laevitate, reliquisque affectionibus; tum quibuscunque saporum differentiis. Inaequalitas autem [versatur] *in excessu atque defectu secundum multitudinem et magnitudinem. Brevi, illa etiam omnia excessu defectuve* [differunt]; *nam plus illud minusque excessus* [est] *defectusque. Quod denique non similiter, id situ differt* e. s. p. Eadem Nicolaus procul dubio aut dixit aut dicere voluit, licet plura, quae in Alfredi versione legantur, minime congruant. Jam vero de singulis videamus.

p. 16 *l.* 9. ***Est planta, quae habet partes siccas.*** — Jamque haeremus. Dicendum fuisset secundum Theophrastum: *quae habet partes alias, alias non.* Latina verba ita immutare nefas foret, ea Arabice vertere et pro hujus linguae ratione emendare, temerarium; quippe cui tanta verborum copia est, ut *siccum esse* verbis novem radicitus diversis exprimere liceat. Indicasse igitur vitium irreparabile sufficiat.

p. 16 *l.* 10. ***Partes terminatas nec sim. nec aeq.*** — Dictum puto pro: quibus convenit nec similes esse nec aequales.

p. 16 *l.* 11. ***Quaedam habent partes similes ad invicem.*** — Supplendum est, ut sequentia docent, *nec aequales.*

p. 16 *l.* 12. ***Non est locus ejus in situ;*** — i. e. quarundam locus non definitus est, vel, ut cum Theophrasto loquar, *quaedam partes non similiter habent.* Itaque congruere videntur utriusque et nostri et Theophrasti divisiones, siquidem primum membrum apud nostrum corruptum esse concedas. Alterius enim membri subdivisio mera est amplificatio.

p. 16 *l.* 13. ***Cognita est, et figurae*** etc. — In aprico est, interpretem dicere voluisse, figurae, coloris e. s. p. differentias satis esse notas. Quum autem lingua Arabica tempus praesens a praeterito certis formis grammaticis haud distinguat, vertendum potius fuisse arbitror *cognoscitur et figura et colore* etc. Sic enim Theophrastus l. c.

p. 16 *l.* 14. *Asperitatis.* — τραχύτητι Theophr. Quam lectionem pro vulgari παχύτητι Moldenhawer ex cod. ms. Havniensi recepit.

p. 16 *l.* 15. *Et omnia.* — Vertendum fuisset *et omnibus.* Fontem erroris Graeca constructio apud Theophr. l. c. ostendit.

p. 16 *l.* 15. *In diversitatibus* [*saporum*]. — τῶν χυλῶν, addit Theophr. l. c.; noster neglexit.

p. 16 *l.* 16. *Inaequalitate.* — Secundum Theophrastum dicere oportebat: *inaequalitas vero* [cognoscitur] e. s. p.

p. 16 *l.* 17. *Et quaedam non erit uniusmodi, sed habebit diversitates multas.* — Theophr. l. c. τὸ δὲ μὴ ὁμοίως τῇ θέσει διαφέρει, *quod denique non similiter, id situ differt.* Itaque pro *ejusmodi* dicendum fuisset ejusdem situs. Ad quas situs differentias illustrandas Nicolaus cap. seq. plura profert exempla a Theophrasto mutuata.

p. 16 *l.* 20. *Cap. XI.* — Alb. tract. II cap. IV: *de corporalium et principalium partium plantae diversitate.*

p. 16 *l.* 20. *Et plantarum quaedam producunt fructum .... et quarundam fructus in medio earum.* — Theophr. l. c. §. 7: τὸ δὲ μὴ ὁμοίως τῇ θέσει διαφέρει. λέγω δὲ οἷον τὸ τοὺς καρποὺς τὰ μὲν ἐπάνω, τὰ δ' ὑποκάτω τῶν φύλλων ἔχειν, καὶ αὐτῶν τῶν δένδρων τὰ μὲν ἐξ ἄκρου, τὰ δὲ ἐκ τῶν πλαγίων, ἔνια δὲ καὶ ἐκ τοῦ στελέχους, οἷον ἡ Αἰγυπτία συκάμινος. καὶ ὅσα δὴ καὶ ὑπὸ γῆς φέρει καρπὸν, οἷον ἥ τε ἀράχιδνα καὶ τὸ ἐν Αἰγύπτῳ καλούμενον οὔϊγγον· i. e. *Quod denique non similiter, id situ differt. Dico vero* [situ differre], *cum exempli gratia fructum aliae supra, aliae infra folia ferunt, ipsarumque arborum quaedam cacumine, quaedam lateribus, nonnullae etiam ex caudice, ut morus Aegyptiaca. Sunt etiam, quae sub terra fructum ferunt, ut arachidna et quae in Aegypto vignon vocatur.*

p. 16 *l.* 23. *Arbores Aegyptiae, quae dicuntur vargariaton.* — Litera *v* praefixa verbis est

copula Arabica; *vargariaton* igitur esse potest *et argariaton*, vox haud absimilis *arachidnae* Theophrasti l. c. Quum tamen Theophrastus Aegyptum non hujus, sed *vigni* patriam dicat, nec non plantae cujusdam nomen antecessisse oporteat, ad quam copula respiciat, totum locum corruptum, et hunc in modum restituendum esse hariolor: *arbores Aegyptiae, quae dicuntur vignum et arachidna.* Quae vero sint hae plantae, quas Nicolaus arbores dicit, quarum tamen Theophrastus alteram, *vignum*, hist. plant. lib. I cap. 6 §. 9 tuberibus sociat, alteram, *arachidnam*, ibid. §. 12 foliis carere docet, neque ipse scio, neque ullum hucusque probabili quadam conjectura assecutum esse contendo. Id tantum hac occasione adnotare liceat, Theophrasti *τὸ ἐν Αἰγύπτῳ καλούμενον οὔϊτον,* lib. I cap. 6 §. 11, Pliniique *oetum*, lib. XXI cap. 15 sect. 52, quod quibusdam a *vigno* non differre visum est, optime respondere Coptico *ουεδ*, quod secundum Peyronii lexicon est *olus*, *et proprie intubum vel endivia.* Quibuscum confer Plinium l. c.: *in Aegypto proxima* [post colocasiam] *auctoritas cichorio est*, *quam diximus intubum erraticum.*

p. 17 *l.* 1. ***Et quarundam folia .... earum, quae habent folia.*** — His respondere videtur Theophr. lib. I cap. 1 §. 8, licet non paucis recedat. *Nodi* hoc loco non, ut supra cap. 8 fibras significare, sed sensu vulgari dicti videntur, ut Theophr. ὄζοι. *Folia aequalia* et *ad invicem similia* pro oppositis habeo; eodemque modo et *ramos aequales* esse oppositos, verba Theophrasti parallela docent: *τῆς δὲ ἐλάτης* [οἱ κλῶνες] *κατ᾽ ἀλλήλους ἑκατέρωθεν·* *abietis vero* [surculi] *utrinque sibi oppositi sunt.*

p. 17 *l.* 4. ***Et sunt partes, quas nominabimus, omnium plantarum, et sunt crescentes et addentes.*** — Eadem apud Theoph. l. c. §. 9 longe aliter: *ἔστι δὲ πρῶτα μὲν* [τὰ μέρη] *καὶ μέγιστα καὶ κοινὰ τῶν πλείστων τάδε·* *sunt autem partes primae et maximae et plurimum communes hae.* Sed pone, ultima verba Arabica haec fuisse: وهو ريعان والمة, tum pariter aut *et sunt crescentes et sunt addentes*, aut *eae-*

que maximae primaeque verti possent. Reliqua autem a Theophrasti verbis vix differunt.

p. 17 l. 6. ***Radix et virgae et stipites et rami.*** — Theophr. l. c. ῥίζα, καυλὸς, ἀκρέμων, κλάδος, *radix*, *caulis*, *ramus*, *surculus*. Nicolaus ab hac partium enumeratione non solum ordine, sed etiam definitionibus longe recedit, ita tamen ut omnia, dum ad palmas, principes Syriae arbores referas, naturae optime conveniant.

p. 17 l. 7. ***Et ista assimilantur membris animalium, quae continent omnia membra.*** Theophr. l. c. εἰς ἃ διέλοιτ' ἄν τις ὥσπερ εἰς μέρη, καθάπερ ἐπὶ τῶν ζώων· ἕκαστόν τε γὰρ ἀνόμοιον, καὶ ἐξ ἁπάντων τε τούτων τὰ ὅλα· i. e. *In quae tanquam in partes dividere licet, ut in animalibus; unaquaeque enim* (harum partium est) *dissimilis, et ex omnibus hisce totae* (plantae consistunt). Quibus comparatis dubito, utrum verba nostri ultima *quae continent omnia membra* ad animalia, eaque perfecta, spectent, an quaedam elapsa sint, hunc fere ad modum restituenda: *et constituunt eas plantas, quae cont. omn. membra.*

p. 17 l. 8. ***Radix plantae mediatrix est inter plantam et cibum.*** — Theophr. l. c. ἔστι δὲ ῥίζα μὲν, δι' οὗ ἡ τροφὴ ἐπάγεται· καυλὸς δὲ, εἰς ὃ φέρεται· i. e. *est vero radix id, quo alimentum adducitur; caulis id, ad quod fertur.*

p. 17 l. 9. ***Et ideo vocant eam Graeci*** etc. — Veteris cujusdam philosophi placitum esse videtur, cujus tamen neque Theophrastus neque Aristoteles mentionem fecerunt. Elementa ab Empedocle vers. 55 aliisque a Karstenio ad hunc versum laudatis ῥιζώματα πάντων nuncupari, vix hujus loci foret, nisi doceret, metaphoram, qua pro *causa radix* ponatur, a Graecae linguae ingenio non abhorrere. Arabes pro *causae* notione decem facile verbis penitus diversis utuntur, quorum primitus alia adminiculum, alia medium, alia vinculum, alia tractum, alia efficiens, alia necessitatem, alia affinitatem, alia matrem, nec ulla, ut saltem videtur, ***radicem*** proprie significat.

p. 17 *l.* 11. ***Stipes plantae est, quae sola nascitur a terra, et est sicut statura erectionis.*** — Arabismus est haud infrequens pro simplici: *et est erecta.* — Theophr. l. c. καυλὸν δὲ λέγω τὸ ὑπὲρ γῆς πεφυκὸς ὑφ᾽ ἕν· τοῦτο γὰρ κοινότατον ὁμοίως ἐπετείοις καὶ χρονίοις· ὃ ἐπὶ τῶν δένδρων καλεῖται στέλεχος· i. e. ***Caulem vero dico, quod supra terram simplex enascitur; hoc quidem maxime commune pariter et annuis et perennibus, in arboribus vocatur stipes.*** Num fortasse ex nostro libro elapsa sint: et est in ***arboribus*** sicut status erectionis? Sed herbas Nicolaus neglexisse videtur.

p. 17 *l.* 12. ***Surculi vero sunt, quae a radice arboris pullulant.*** — Theophr. l. c. κλάδον δὲ [λέγω] τὸ βλάστημα τὸ ἐκ τούτων ὑφ᾽ ἕν, οἷον μάλιστα τὸ ἐπέτειον· i. e. ***Surculos vero*** [dico], ***quod simplex germinat ex illis*** [ramis], ***idque plerumque annotinum.*** Hic igitur noster maxime a Theophrasto dissentit, facileque apparet, illius ***surculos*** seu, ut antea dicebantur, ***virgas*** aliud quid esse ac hujus κλάδους. Sunt autem, ni fallor egregie, ***surculi*** a radice palmae pullulantes, foliis pinnatis coronati, quorum petioli antiquitus pro ramis habebantur, e. g. ab ipso Theophrasto, qui lib. I cap. 14 §. 2 palmam dicit ἀκρόβλαστον, i. e. ***cacumine ramosam.*** Ideoque Nicolaus jure addere poterat: ***sed rami sunt, qui nascuntur supra surculos,*** pro illis Theophrasti: ἀκρέμονας δὲ [λέγω] τοὺς ἀπὸ τούτου [τοῦ καυλοῦ] σχιζομένους, i. e. ***ramos vero*** [dico], ***qui ab hoc*** [caule] ***sese effundunt.***

p. 17 *l.* 14. ***Et non inveniuntur in omnibus plantis*** etc. — Theophr. l. prius citato §. 10: ὁ δὲ καυλὸς, ὥσπερ εἴρηται, κοινότερος· ἔχει δὲ οὐ πάντα οὐδὲ τοῦτον, οἷον ἔνια τῶν ποωδῶν· τὰ δ᾽ ἔχει μὲν, οὐκ ἀεὶ δὲ, ἀλλ᾽ ἐπέτειον, καὶ ὅσα χρονιώτερα ταῖς ῥίζαις. ὅλως δὲ πολύχουν τὸ φυτὸν καὶ ποικίλον, καὶ χαλεπὸν εἰπεῖν καθόλου. σημεῖον δὲ τὸ μηδὲν εἶναι κοινὸν λαβεῖν, ὃ πᾶσιν ὑπάρχει, καθάπερ τοῖς ζώοις στόμα καὶ κοιλία. τὰ δὲ ἀναλογίᾳ ταὐτὰ, τὰ δ᾽ ἄλλον τρόπον. οὔτε γὰρ ῥίζαν πάντ᾽ ἔχει, οὔτε καυλὸν, οὔτε ἀκρέμονα, οὔτε κλάδον, οὔτε φύλλον, οὔτε ἄνθος, οὔτε καρπὸν,

οὔτ' αὖ φλοιὸν ἢ μήτραν ἢ ἶνας ἢ φλέβας, οἷον μύκης, ὕδνον· ἐν τούτοις δὲ ἡ οὐσία καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις· ἀλλὰ μάλιστα ταῦτα ὑπάρχει, καθάπερ εἴρηται, τοῖς δένδροις κ. τ. λ. i. e. *Caulis vero, ut dictum est, communior; sed ne hunc quidem omnes habent, velut herbacearum quaedam. Aliae habent quidem, at non perennem, sed annotinum, ea scilicet, quibus radix diuturnior. Omnino autem multiplex est planta et varia, et in universum de ea referre difficile. Argumento autem est, ut nil commune ponere liceat, quod omnibus insit, sicut animalibus os et venter; sed alia sunt proportione eadem, alia alia modo. Neque enim radicem omnes habent, neque caulem, neque ramum, neque surculum, neque folium, neque florem, neque fructum; neque rursus corticem, vel matricem, vel fibras, vel venas, velut fungus et tuber; attamen in his et talibus* [plantarum cernitur] *natura. Sed maxime, ut dictum est, haec arboribus insunt* etc. Nicolaus, omissis verbis *caulis vero communior*, de *ramis* praedicare videtur, quae Theophrastus de caule, ne dicam de aliis sive omissis sive perturbatis.

p. 17 *l.* 18. *Cortices .... nascuntur ab humore.* — Theophr. 1. c. cap. 2 §. 1: ἄλλα δέ, ἐξ ὧν ταῦτα, φλοιός, μήτρα, ξύλα, ὅσα δὴ ἔχει μήτραν· πάντα δὲ ὁμοιομερῆ· καὶ τὰ τούτων δὲ ἔτι πρότερα καὶ ἐξ ὧν ταῦτα, ὑγρόν, ἴς, φλέψ, σάρξ· ἀρχαὶ γὰρ αὗται· πλὴν εἴ τις λέγοι τὰς τῶν στοιχείων δυνάμεις· αὗται δὲ κοιναὶ πάντων. i. e. *Aliae vero* [partes sunt], *ex quibus hae, cortex, matrix, lignum, quae quidem habent matricem; omnes vero similares. Et his quoque sunt priores, et ex quibus hae, humor, vena, fibra, caro; haec enim principia; nisi quis elementorum vires afferat, quae cunctis communes sunt.*

p. 17 *l.* 19. *Quidam vocant .... et quidam cor.* — Theophr. l. c. §. 6: καλοῦσι δέ τινες τοῦτο [τὴν μήτραν] καρδίαν, οἱ δὲ μυελόν· i. e. *Vocant autem quidam hoc* [matricem] *cor, alii medullam.* Quid vero medullae cum visceribus commutandae occasionem dederit, ignoro,

nisi forte interpres aut سرم pro سر aut معي pro مخ legerit.

p. 17 *l.* 21. ***Et nodi et venae et caro totius plantae ex quatuor sunt elementis.*** — Nodos hic iterum, ut cap. 8, *fibras* seu Theophrasti ἶνες esse, perspicuum est. Sententia igitur est: *partes similares aliis partibus non componuntur, nisi elementa dicas cunctis communia.* Theophrasti locum parallelum cap. 2 **§. 1** paulo supra transcripsi.

p. 17 *l.* 22. ***Multotiens inveniuntur partes, quae aptae sunt ad generandum*** etc. — Theophr. l. c.: ἄλλα δὲ ἐστὶν ὥσπερ ἐπέτεια μέρη τὰ πρὸς τὴν καρποτοκίαν, οἷον φύλλον, ἄνθος, μίσχος· τοῦτο δ᾽ἐστὶν, ᾧ συνήρτηται πρὸς τὸ φυτὸν τὸ φύλλον καὶ ὁ καρπός· ἔτι δὲ ἕλιξ, βρύον, οἷς ὑπάρχει, καὶ ἐπὶ πᾶσι σπέρμα τὸ τοῦ καρποῦ· καρπὸς δ᾽ἐστὶ τὸ συγκείμενον σπέρμα μετὰ τοῦ περικαρπίου· i. e. ***Aliae vero sunt quasi annuae partes fructificationi dicatae, velut folium, flos, pediculus, id est, quo annectitur ad plantam folium fructusque. Tum vero capreolus, iulus, quibus quidem is est, et ante omnia semen fructus; fructus autem est compositum semen cum pericarpio.*** Itaque nostri ***parvae virgae, quae sunt flores praeter plantam,*** respondent Theophrasti ***pediculis, folium et fructum ad plantam annectentibus.*** Fortasse interpres pro خرج من النبت, ***prodiit ex planta,*** legit خارج من النبت, ***praeter plantam.*** Postrema capitis verba cum Graecis satis convenirent, si legere liceret ***et rami et fructus.*** Tunc enim ***rami*** forent ***capreoli,*** et verbum ***nascuntur*** pro ***fiunt, consistunt*** dictum esset.

p. 17 *l.* 27. ***Cap. XII.*** — Alb. tract. **II** cap. **V**: ***in quas species dividatur genus plantae, et propter quam causam.*** Totum caput, paucissimis omissis, fere ad verbum reddit Theophr. hist. pl. lib. **I** cap. **3** **§. 1—4**; nec minus Graeca illustrat, quam haec illustrantur ab illo.

p. 17 *l.* 27. ***Quaedam inter arbores et herbas, nominanturque illae ambrachion.*** — Reliqua plantarum genera, arbores, olera, herbae, nominibus suis tantummodo indicantur; haec sola jam ante sequentem definitionem paucis describitur. Unde colligo, *ambrachion* vocem non Arabicam, sed ipsius Nicolai Graecam esse, ab Arabe receptam. Nec ullam radicem Arabicam, cui accedat, invenio; similitudo contra cum Graeco φρύγανον haud exigua est. Loco Graecae literae φ Arabes saepius ponunt ب, b; loco literae γ, aut ج, g, aut خ ch; ita ut *brachion*, neglecta syllaba prima, et φρύγανον iisdem ambo literis consonantibus sint composita. Syllabam *am* vero Arabes pluribus vocibus peregrinis euphoniae causa anteposuisse videntur, e. g. انزروت, *anzerut*, i. e. sarcocolla, أمبرباريس seu انبرباريس, *amberberis* i. q. برباريس, berberis i. e. quod et nobis berberis audit. Accedit, quod tertium plantarum genus, θάμνος, Arabicis literis scriptum, ثامنس, haud raro apud Avicennam occurrit. Fortasse igitur Arabs noster utriusque generis, et τοῦ φρυγάνου et τοῦ θάμνου nomina Graeca servavit.

p. 18 *l.* 5. ***Sed planta, quae est inter arbores et herbas minutas*** etc. — Locus Theophrasti parallelus, in omnibus editionibus, novissima haud excepta, mancus, in codice Urbinate, cujus comparationem Schneider vol. V edit. Theophr. publici juris fecit, sic legitur: φρύγανον δὲ τὸ ἀπὸ ῥίζης πολυστέλεχες καὶ πολύκλαδον, οἷον καὶ γάμβρη καὶ πήγανον. θάμνος δὲ τὸ ἀπὸ ῥίζης πολύκλαδον, οἷον βάτος καὶ παλίουρος· i. e. *Frutex vero est, qui a radice stipites ramosque multos profert, velut gambre et ruta. Suffrutex vero, qui a radice ramos multos profert, velut rubus et poliurus.* Schneider, tanquam genuina quidem haec verba admittens, aliter tamen eadem disponenda censet; loco τοῦ φρυγάνου legit θάμνος, et vice versa, nec non loco τοῦ οἷον καὶ γάμβρη καὶ πήγανος legit οἷον βάτος καὶ παλίουρος, et vice versa. Arabs noster non solum editionum lacunam iisdem verbis ac cod.

Urbinas explet, sed etiam alteram Schneideri conjecturam approbat, alteram vero reprobat. Procul dubio enim legit: *φρύγανον δὲ τὸ ἀπὸ ῥίζης πολύκλαδον, οἷον παλίουρος καὶ βάτος. θάμνος δὲ τὸ ἀπὸ ῥίζης καὶ πολυστέλεχες καὶ πολύκλαδον, οἷον πήγανον καὶ κράμβη.* Sic enim, *κράμβη*, legendum esse pro *γάμβρη*, verba Latina *ut ruta et caulis* docent (Schneider l. c. *γόμνη*, origani synonymon Hesychianum proposuerat absque ulla verisimilitudine).

p. 18 *l.* 7. *Ut id, quod dicitur magnus cannae et rubus.* — Quaeritur tresne an duae plantarum species sint? Theophrastus duarum tantum meminit, *οἷον βάτος καὶ παλίουρος*, quarum illa *rubus*, ita ut haec sub voce *magnus* vel *cannae* vel sub utraque simul latere videatur. *Paliurus vulgaris*, quum in terris Arabum vix occurrat, ab hujus gentis scriptoribus confundi solet cum *Paliuro Spina Christi*, quam vulgo سدر, *sidra* vocant. Quod nomen ex vocibus *magnus cannae* nemo hercle extorquebit. Jam vero vetus Avicennae interpres *cannam* dixit, quod Arabibus حنا, *ʿhenna*, nobis *Lawsonia inermis est.* Arabice igitur *magnus cannae* audivisse potest مجانس الحنا, *mogânas el-ʿhenna*, i. e. Lawsoniae *similis.* Quibus Arabicum Nicolai interpretem *παλίουρον* circumscripsisse autumo.

p. 18 *l.* 8. *Sed olera sunt* etc. — Theophr. l. c. *θάμνος δὲ κ. τ. λ.* Idem *τοῦ θάμνου* verbum, quum ad Arabes migratum sit ثمنش, *tamnosch*, hic sub olere latere persuasum habeo. Quod probe notandum, quum mox etiam *λάχανον* Theophrasti eodem *oleris* nomine occurrat. Rectius autem *θάμνος* verteretur *suffrutex* vel *arbusculum.*

p. 18 *l.* 9. *Sunt autem herbae, quae non habent stipitem, sed folia ex sua radice.* — Paulo aliter Theophrastus l. c. *πόα δὲ τὸ ἀπὸ ῥίζης φυλλοφόρον προϊὸν ἀστέλεχες, οὗ ὁ καυλὸς σπερμοφόρον.* *Herba vero, quae a radice foliosa primum absque stipite est, cujus caulis fert semen.* Quae naturae magis conveniunt.

p. 18 *l.* 10. ***Et quaedam omni anno nascuntur et arescunt.*** — Hanc maximi momenti differentiam Nicolaus aut, a Theophrasto neglectam supplevit, aut, quod credere malim, pleniori Theophrasti exemplare usus, quam hodie extat, ab eo recepit.

p. 18 *l.* 11. ***Ut triticum et olera.*** — Theophr. l. c. οἷον τὸ σῖτος καὶ τὰ λάχανα. Hic igitur *olus* sensu vulgari habes, non, ut antea atque postea saepius, pro *suffrutice* usurpatum.

p. 18 *l.* 14. ***Olus, quod dicitur olus regium.*** — *Fumariam* Arabes vocant بقلة الملك, *bagla el-malek*, i. e. olus regis; quae, quum minime inter herbam olusque ambigat, ab hoc loco prorsus aliena videtur. Theophrastus l. c. §. 2 ejusdem rei exemplum proponit μαλάχην, *malvam*, quae Arabice proprio nomine, eoque diversissimo ab olere regis, vocatur خبازي, *chobâza*. Sed ipsa vox Graeca μαλάχη transiit in Arabicam ملوخيا, *malûchîa* sive, ut alii scribunt, مُلُوكِيا, *mâlukîa* (Freytag lex. Arab. sub voce ملوخية et Seligmann ad Abu-Mansur part. II pag. 88); iisdemque elementis scribitur مُلُوكِيّ, *mulukijja*, regius sive ad reges pertinens. Cujus vocis ambiguitate deceptus interpres Latinus fumariam pro malva posuisse videtur.

p. 18 *l.* 15. ***Acelga.*** — Theophr. l. c. est τεῦτλον, *beta.* Haec Arabice dicitur سلق, *selg*, unde Hispani, teste Casirio tom. I pag. 333 fecerunt *acelga.*

p. 18 *l.* 16. ***In figura granorum plantae.*** — Inter verba, quae grana plantarum significant, est حبات, *ʿhabbât*, cui quoad literas admodum similia sunt خبية, *chabî*, res humilis et abjecta, et خبتة, *chabta*, humilitas. Fac autem, Alfredum pro خبتة legisse حبات, facileque perspicies, vertendum fuisse: *in figura humilitatis plantae*, sensumque esse, quasdam nasci humiles et herbaceas,

quae postea fierent arbores. Arabismum huic simillimum supra offendimus, *staturam erectionis* pro adjectivo *erecto.*

p. 18 *l.* 17. *Vovet et fingekest* [*id est pentaphyllon*] *et planta, quae dicitur bacca caprarum.* — Apud Theophr. l. c. pro his tribus quatuor reperiuntur plantae, ἄγνος, *vitex*, παλίουρος, *paliurus*, κιττὸς, *hedera*, et paulò post ἡ Ἡρακλεωτικὴ καρύα, *nux Heracliotica* i. e. avellana. *Paliurum* jam supra vidimus nostro *cannam* esse, quam hic desideramus; فنجكشت, *fingekest*, viticem esse, omnes consentiunt, nomenque Persicum esse testantur, cujus sensus sit *pentaphyllon*, quod et glossator quidam hic adnotasse videtur. *Vovet* quid esse possit, non video, praeter فوفل, *faufel* seu *fufel*, i. e. nux arecae catechu, quae alio nomine dicitur بندق هندي, *bonduq hindi*, i. e. avellana Indica. Itaque hariolor, interpretem Arabicum فوفل, Latinum *bobel* scripsisse, hinc denique librariorum incuria factum esse *vovet.* Vix enim ullae literae sibi similiores in saeculi XII libris mss. reperiuntur quam b et v. Superest *bacca caprarum*, quam reliquis expeditis, *hederam* esse vix dubitaveris. Hanc vero Arabes aut, Graeco nomine recepto, قسوس, *qissus*, aut proprio adhibito, بقلة الباردة, *baqla el-bârida*, i. e. olus frigidum, dicere solent; quod nisi degeneraverit paulatim in *baccam caprarum*, hujus originem ignoro. Namque حب الزلم, *'hab el-zalem*, quod *baccam caprae* vertere liceret, est *cyperus esculentus*, a loco, quem exponere conamur, prorsus alienus.

p. 19 *l.* 4. *Cap. XIII.* — Alb. tract. II cap. VI: *de diversitatibus plantarum ex cultu praecipue provenientibus.*

p. 19 *l.* 4. *Plantarum quaedam* etc. — Haec usque ad verba *et diversitas plantarum*, excerpta sunt ex Theophr. hist. pl. lib. I cap. 3 §. 5 et 6.

p. 19 *l.* 5. *Puto quoque.* — Eandem sententiam, quam Nicolaus sibi arrogare videtur, Theophrastus et hic et alibi, lib. III cap. 2 §. 2, *Hipponi* tribuit. Qua de causa

aut *putant* pro *puto* legendum esse, aut Alfredum ***Hipponis*** nomine haud opinato deceptum esse arbitror. Etenim Ἵππων, ***Hippo***, Arabice procul dubio scribi poterat أبّن; idemque verbum paulo aliter pronunciatum أبَنُ, *abanu*, est prima persona aoristi activi a verbo أبَنَ, *abana*, *putavit*. Quae si revera sic se haberent, vertendum erat ***Hippo** quoque*, sc. dixit.

p. 19 *l.* 8. ***Quaedam faciunt florem, et quaedam non.*** — Theophr. l. c. ἀνθοφόρα καὶ ἀνανθῆ, *flore praeditae floreque carentes.* Quibus comparatis, vulgatam lectionem *oleum* rejicere, et cum Theophrasto *florem* scribere non haesitavi.

p. 19 *l.* 10. ***Et diversitas plantarum.*** — Abhinc usque ad verba *non separatur ab ea* Nicolaus Theophr. cap. 4 presse sequitur.

p. 19 *l.* 16. ***Quae nascuntur in mari Rubro*** etc. — Theophr. l. c. τὰ δὲ καὶ ἐν αὐτῃ τῇ θαλάττῃ φύεσθαι· τὰ μὲν ἐλάττω, καὶ ἐν τῇ παρ᾽ ἡμῖν, τὰ δὲ μείζω, περὶ τὴν Ἐρυθράν· i. e. ***Quasdam** etiam in ipso mari nasci*; *alias minores*, *easque in nostro*, *alias majores*, ***in Rubro***. Multoque copiosior de iisdem Strabo, lib. XVI (tom. III pag. 383 edit. stereotyp. Tauchnitz.): καθ᾽ ὅλην δὲ τὴν τῆς Ἐρυθρᾶς παραλίαν κατὰ βυθοῦ φύεται δένδρα ὅμοια δάφνῃ καὶ ἐλαίᾳ, ταῖς μὲν ἀμπώτισιν ὅλα ὑπερφανῆ γιγνόμενα, ταῖς δὲ πλημμυρίσιν ἔσθ᾽ ὅτε ὅλα καλυπτόμενα· καὶ ταῦτα τῆς ὑπερκειμένης γῆς ἀδένδρου οὔσης, ὥστε ἐπιγίνεσθαι τὸ παράδοξον· i. e. ***In tota maris Rubri** ora in profundo nascuntur arbores, lauro oleaeque similes, quae, refluxibus totae in conspectum positae, affluxibus totae obteguntur*; *quae, cum terra adjacens arboribus careat, mirabilia dictu sunt.* De algis coralliisque sermonem esse, vix est, quod moneam.

p. 19 *l.* 19. ***Plantarum, quae nascuntur in locis siccis*** etc. — Theophr. l. c., perinde ut animalium alia terrestria alia aquatilia, ita plantarum etiam quas-

dam terrestres quasdam aquatiles esse refert, ceteris locorum natalium differentiis hoc loco neglectis. Nicolaus et montium et planitierum et desertorum plantas addit.

p. 19 *l.* 21. ***Terra Aethiopum, quae dicitur Ziara.*** — Jourdain pag. 301, Alberti lectionem *Zahdia* praeferens, Aegyptum superiorem, seu Graecorum Thebaida, Arabum *Saïd*, esse censet. Mihi neque lectio placet, neque interpretatio. Nicolaus enim de deserto loqui videtur; Saïd, etsi pluriis careat, Nili tamen irrigationibus humectatur. Porro terram minus cognitam, nigris hominibus habitatam, indicare videtur; Saïd tunc temporis Romana erat provincia. *Ziaram* vero dictam puto pro *Sahara*, maximo illo Africae mediae Libyaeve deserto, de quo Abulfeda in tabula Africae geographica ad urbem Segelmasah (secundum Reiskii versionem, in Buesching's Magazin tom. IV pag. 209): *respicit haec urbs deserta Sahara, quae Occidentem dirimunt a terris Nigritarum* [Aethiopum Nicolai], *et ab occidente pariter atque meridie sunt inculta.*

p. 19 *l.* 25. ***Atharafa.*** — Tamarix est, quam Arabes dicunt طرفة, *tharfa*, et cum articulo *el-tharfa* seu *ettharfa*. Theophr. l. c. tres memorat plantas *ἀμφίβιας*, quarum hanc solam Nicolaus recepit: *μυῤῥίνην*, ut vulgo legebatur, *myrtum*, *ἰτέαν*, *salicem*, et *κλῆθραν*, *alnum*. Jam vero Schneiderus *μυρίκην*, *tamaricem*, legendum proposuit, quam conjecturam et codex Theophrasti Urbinas (edit. Schneid. tom. V pag. 453) et jamnunc Nicolaus probant.

p. 20 *l.* 2. ***Planta terrae affixa non separatur ab ea.*** — Sic etiam Theophr. l. c. ad demonstrandum, non ab re fuisse, quae de locis plantarum natalibus prodidisset.

p. 20 *l.* 3. ***Quidam quoque loci meliores sunt quibusdam.*** — Dehinc ad capitis usque finem Nicolaus laxius Theophrastum sequitur.

p. 20 *l.* 8. ***Quaedam vero plantae sunt totae cortex, ut medianus.*** — Ultimo verbo totus lo-

cus a Theophrasto alienus obscuratur. Alberti et lectio et interpretatio, plantas quasdam per medium annum durare, et idcirco *mediannes* dici, nemini satisfaciet. Graeci interpretis φλοιὸς μέσιτεύων, *cortex medianus* pro minore majorem difficultatem substituit, contradictionem in adjecto. Tolerabilior esset conjunctionis *ut* mutatio in *et*, quo fieret, *quasdam esse totas corticem et medianum* seu medullam, ligno nullo interjecto. Probabilior tamen est lectio vulgaris, qua efficitur, *medianum* plantae alicujus nomen esse. Nullum autem novi magis et consonum et proposito aptum, quam ماهودانة (seu Plempio ماهوذانة), *mâhûdâna.* In cujus nominis scriptione medii aevi auctores mirifice vacillant, e. g. Simon Januensis voce cataputia: *Arabice vero* [dicitur] *mundana, ut apud Serapionem; sed Avicenna meubetne vocat, et in Avicenna Arabico est meheubedhane.* Omitto alios. Jam enim perspicuum est, in tanta scriptionis varietate Alfredi scriptionem nedum pessimam esse. Describunt autem Arabes hoc nomine *lathyrin* Dioscoridis, plantam caule fistuloso, quae nobis *euphorbia lathyris.* An vero eadem in Syria crescat, an Nicolaus aliam quandam euphorbiae speciem illius nomine salutaverit, ii videant, quibus ipsam Syriam adire contigerit.

p. 20 *l.* 9. ***Quaedam habent nodos, ut cannae.*** — Theophr. cap. 5 §. 3: ὁ μὲν γὰρ κάλαμος γονατώδης, *arundo enim geniculata.* Cave igitur, ne hanc *cannam* confundas cum illa canna capitis praecedentis, quam Lawsoniam inermem seu Arabum ʿ*henna* esse demonstravi.

p. 20 *l.* 10. ***Quaedam spinas, ut alaz*** [***et i. e. rhamnus***]. — Theophr. l. c. ὁ δὲ βάτος καὶ ὁ παλίουρος ἀκανθώδη, *rubus vero et paliurus aculeatae sunt.* Unde patet, nomen Arabicum non esse الآس, *elas,* myrtum, sed potius عليق, *ʿoliq, rubum,* quod vetus Avicennae interpres *haleich,* alii aliter scribunt. Idem confirmat glossa *et i. e. rhamnus;* quo nomine veteris aevi scriptores lycium, medii rubum vocare solebant. Qua de causo reprobanda est lectio *alaz et rhamnus,* quasi duas essent species, *rhamnus*que *paliuro* responderet, tametsi

6*

paliurus nostro rhamni generi tam affinis est, ut Linnaeus utramque conjungeret. Accuratissimam rubi fruticosi sub *rhamni* nomine descriptionem videre licet apud Albertum lib. VI tract. I cap. 32. Si vero pro *alaz* scribere malles *alak*, non repugnarem.

p. 20 *l.* 12. ***Morus silvestris.*** — Et hoc nomine rubum fruticosum ob fructus similitudinem appellare solebant. Hic autem arborem esse apparet. Theophr. cap. 9 §. 1 in ejusdem rei exemplum proposuit *ῥόαν, punicam granatum*. Sed an Nicolaus hunc locum imitatus sit, nescio, nec video, quomodo ex altero arboris nomine alterum profectum sit. Rectius, ni fallor cum Alberto, Alfredi *morum silvestrem* pro *sycomoro* habere licebit, arborem Syriae celeberrimam, de qua Hasselquist pag. 537: *umbram*, inquit, *praebet egregiam arbor vaste ramosa et in latum extensa.*

p. 20 *l.* 13. ***Sunt, ex quibus prodeunt surculi, et ex aliis non.*** — Prorsus ita Theophr. cap. 6 §. 5: *εἰσὶ δὲ καὶ αἱ μὲν παραβλαστικαὶ εἰς τὸ ἄνω...,* *αἱ δὲ ἀπαράβλαστοι,* additis tamen utriusque exemplis a Nicolao omissis.

p. 20 *l.* 15. ***Quaedam habent tantum unam radicem, ut squilla.*** — Theophr. contra §. 8 duorum generum radices habere docet, alterum ipsum *bulbum*, alterum *fibrillas*.

p. 20 *l.* 16. ***Quia illa nascitur in solo ramo.*** — ***Quia***, ut saepius apud Alfredum, pro *enim*; *solus ramus* pro corpore quodam *indiviso*. Sic omnia congruunt. Si *raro* legis pro *ramo*, disturbantur.

p. 20 *l.* 18. ***Quia sol circulos elicit.*** — Theophrastus quoque paulo antea §. 7 squamarum seu tunicarum bulbi meminerat, causa earum non addita. Nicolaus, solis circulis in auxilium vocatis, ne quicquam ignorare videatur, egregium ignorantiae specimen praebet.

p. 20 *l.* 19. ***Cap. XIV.*** — Alberti tract. II cap. 7: *de diversitate fructuum plantarum ex succo et componentibus et figuris veniente.*

p. 20 *l.* 19. ***Succorum . . . . centaurea.*** — Eadem paulo copiosiora habet Theophr. lib. I cap. 12 §. 1. Perperam autem, et recedens a Theophrasto, Nicolaus de solis *fructuum* succis agere profitetur, quum tamen aeque ac Theophrastus de omni succorum genere agat, pluraque repetat, de quibus jam cap. 10 egit.

p. 20 *l.* 20. ***Malorum granatorum.*** — Apud Theophr. non leguntur. Egerunt autem de vino rhoïte Dioscor. lib. V cap. 34, Pallad. de re rust. lib. IV tit. 10 cap. 10, Oribas. lib. V cap. 25, Paul. Aegin. lib. XVII cap. 15, Geopon. lib. X cap. 38, aliique Nicolao posteriores.

p. 21 *l.* 1. ***Origani.*** — Cf. supra cap. 10, ubi de succo *origanali.*

p. 21 *l.* 2. ***Fructuum quidam . . . . ut mala granata.*** — Theophr. cap. 10 §. 10, iisdem exemplis usus, praeterea longe aliter: *οἱ μὲν γὰρ (τῶν καρπῶν) ἐκ σαρκὸς καὶ ἰνὸς, οἱ δὲ ἐκ σαρκὸς μόνον, οἱ δὲ καὶ ἐκ δέρματος σύγκειται· τὸ δὲ ὑγρὸν ἀκολουθεῖ καὶ τούτοις. ἐκ σαρκὸς μὲν καὶ ἰνὸς ὁ τῶν κοκκυμήλων καὶ σικύων, ἐκ ὑγροῦ δὲ καὶ δέρματος ὁ τῶν συκαμίνων καὶ τῆς ῥόας.* i. e. *Alii enim* [fructuum] *ex carne et fibra, alii ex carne tantum, alii etiam ex cute constant; humor vero hos etiam comitatur. Ex carne fibraque* [constat] *prunorum et cucumerum, ex humore vero et cute mori et punicae* [fructus].

p. 21 *l.* 5. ***Et quidam corticem . . . . et granum interius.*** — Theophr. l. c. *πάντων δὲ, ὡς εἰπεῖν, τὸ μὲν ἔξω φλοιὸς, τὸ δ' ἐντὸς σὰρξ, τῶν δὲ καὶ πυρήν·* i. e. *omnium autem fere pars exterior cortex, interior caro, quorundam etiam nucleus* [est].

p. 21 *l.* 6. ***Et quidam, in quibus . . . quidam vero non sic.*** — Theophr. l. c. cap. 11 §. 1: *καὶ τῶν μὲν [τῶν καρπῶν] εὐθὺς τὸ σπέρμα μετὰ τὸ περιέχον, οἷον φοίνικος, καρύου, ἀμυγδαλῆς· πλείω δὲ τούτων τὰ ἐμπεριέχοντα, ὡς τὰ τοῦ φοίνικος. τῶν δὲ μεταξὺ σὰρξ καὶ πυρὴν, ὥσπερ ἐλαίας καὶ κοκκυμηλέας καὶ ἑτέρων.* i. e. ***Et quibusdam*** [fructuum] ***statim semen sub tegmine, ut palmae, nuci, amygdalo; his vero insuper intus am-***

bientia, ut quae sunt palmae. Quibusdam vero inter utrumque [et semen et tegmen] *caro et putamen, ut olivae, pruno, aliisque.* Quo loco inde a Scaligero viri docti haeserunt. Plerique verba πλείω δὲ τούτων fructus ante dictos respicere voluere; Schneiderus τούτῳ scripsit, et de tegmine dictum putavit; mihi τούτων nulla emendatione egere, et de tegmine et de semine simul intelligendum videtur. Τὰ ἐμπεριέχοντα sunt mihi τὰ μὲν τὸ σπέρμα περιέχοντα, τὰ δὲ τῷ περιέχοντι ἐνεχόμενα, *semen ambientia, tegmine vero tecta*; itaque dactylus quasi transitum facere dicitur ab his fructibus, quibus statim sub tegmine semen, ad illos, quibus adhuc et caro et nuclei putamen est inter utrumque. Noster vero utrum auctor, nescio, an interpres, Theophrasti sententiam adeo mutilavit, ut non videam, quo pacto Bodaeus a Stapel contendat, eum recte hujus loci sensum, mentemque magistri exposuisse. Accedit, quod μετὰ τοῦ περιέχου legisse videtur; vertit enim *cum cooperculo*, nec ut sana lectio postulasset, *sub cooperculo.*

p. 21 *l.* 8. ***Sed fructus comestibiles.... quaedam vero non.*** — Verba Aristotelica esse puto, licet frustra quaesiverim. Loco vero praepostero inserta esse nemo non videt.

p. 21 *l.* 12. ***Fructuum iterum quidam sunt in siliquis, ut grana.*** — Theophr. l. c. §. 1 et 2: ἔνια δὲ καὶ ἐν λοβῷ, τὰ δ' ἐν ὑμένι, τὰ δ' ἐν ἀγγείῳ, τὰ δὲ καὶ γυμνόσπερμα τελείως. ἐν λοβῷ μὲν οὐ μόνον τα ἐπέτεια, καθάπερ τὰ χέδροπα καὶ ἕτερα πλείω τῶν ἀγρίων, ἀλλὰ καὶ τῶν δένδρων ἔνια, κ. τ. λ. i. e. *Quaedam vero* (semina) *in siliqua, alia in cuticula, alia in capsula, alia vero perfecte nuda sunt. In siliqua autem non solum annua, velut legumina aliaque plura arvensium, sed etiam arborum quaedam* etc. — Hinc *grana* esse legumina patet. Arabice fuisse puto قطاني, *qathâni*, quo nomine Ibn el-Vam apud Casirium vol. I pag. 332 et 333 legumina a frumentis aliisque distinguit, secundum lexicographos vero alii alia quoque semina sic appellant, sicut etiam Alfredus *grana* alias aliarum plantarum semina dicit.

p. 21 *l.* 12. ***Quidam in coopertura sicut tela, ut triticum.*** — Theophr. l. c. ἐν ὑμένι δ' ἔνια τῶν ἐπετείων, ὥσπερ ὁ πυρὸς καὶ ἡ κέγχρος; *in cuticula vero quaedam annuarum, velut triticum et panicum.*

p. 21 *l.* 13. ***Quidam in carne, ut dactyli*** etc. — Theophr. cap 11 §. 3: τῶν δὲ δένδρων οὐδὲν γυμνόσπερμον, ἀλλ' ἢ σαρξὶ περιεχόμενον ἢ δέρμασιν [ἢ ξύλοις]· τὰ μὲν [περιέχουσι σαρκωτικοῖς, ὥσπερ τὰ τοῦ φοίνικος, τὰ δὲ] δερματικοῖς [vulgo σπερματικοῖς], ὥσπερ ἡ βάλανος καὶ τὸ Εὐβοϊκὸν, τὰ δὲ ξυλώδεσιν, ὥσπερ ἡ ἀμυγδάλη καὶ τὸ κάρυον· οὐδὲν δὲ ἐναγγειοσπέρματον, εἰ μή τις τὸν κῶνον ἀγγεῖον θήσει, διὰ τὸ χωρίζεσθαι τῶν καρπῶν. i. e.: *Arborum vero nulla semen nudum fert, sed vel carnibus circundatum vel coriis* [vel lignis]: *alia enim* [coopercuhs carnosis, ut ea palmae, alia] *coriaceis* [vulgo *seminalibus*], *ut glans et castanea, alia ligneis, ut amygdala et juglans; nullum vero vasculo inclusum, nisi quis strobilum vasculum esse statuat, ob fructuum ab invicem diremtum.* Quem locum quibus conjecturis alii vexaverint, transeo, propriisque insistam. Nonnulla excidisse, cum ex reliquis ipsius Theophrasti, tum ex Nicolai verbis colligere licet. Quae vero uncis inclusa inserui, omnino sufficiunt, neque Scaligeri ὀστρακώδεσιν, neque Schneideri turbulenta verborum translatione, neque καλύμμασι neque κελύφεσι neque λεπυρίοις, quae eidem postea (tom. V pag. 8) placuerunt, opus est. Heinsium autem recte scripsisse δερματικοῖς pro σπερματικοῖς (quo facto absurditas augeri Schneidero videbatur), si egeret teste, nostrum inveniret Nicolaum. Cujus verba singula paulo obscuriora jam lustremus.

p. 21 *l.* 14. ***Belotae***, بلّوط, *belluth*, sunt quercuum glandes, ut jam glossator quidam annotavit; *castanea* autem Arabice vocatur شاهبلّوط, *schâh-belluth*, i. e. glans regia. Quam ob rem neque G. II lectio *belotae et glandes*, neque Alberti interpretatio *glans et castanea* admitti possunt. Theophrasti auctoritas non obstat: etenim Nicolaum, scimus, inter plura exempla a Theophrasto propo-

sita plerumque unum quoddam eligere; Albertus contra inventis apud Nicolaum exemplis singulis plura addere solet, atque etymologiarum cupidus, ut est, hoc loco, post memoratum *castam*, *castaneae* non meminisse non poterat. Forte igitur fortuna contigit, ut castanea, quae apud Nicolaum desideratur, cum apud Theophrastum tum etiam apud Albertum legatur.

p. 21 *l.* 14. ***Cafta.*** — Sic lego, quoniam جفت, ***ǵeft***, peculiare est nomen testae, qua glans intra cupulam vestitur. Avicenna capite de belluth, tom. I pag. 148: واشد ما في البلوط قبضا هو جفته وهو قشره الداخل ۞ i. e. ***Vehementioris austeritatis in glande est ǵeft ejus, id est indumentum ejus internum***, quibuscum conveniunt verba Dioscorid. lib. I cap. 142: *μάλιστα δὲ αὐτῆς στύφει... τὸ περὶ τῇ βαλάνῳ ὑπὸ τὸ κέλυφος*, i. e. ***maxime vero adstringit, quod circa glandem sub calyce est.*** Eodem verbo in eodem Dioscoridis loco vertendo Serapionem etiam usum esse, Latina ejus editio docet, qua eadem glandis pars dicitur ***geitalbulot***, procul dubio pro جفت البلوط, *ǵeft el-belluth;* facile enim pro genuino جفت legi poterat جعت ***ǵait***, vox sensus expers. Alpagus denique in glossis ad Avicennam voce ***gieft albelut: secundum Arabes est cortex interior subtilis glandium, adhaerens medullae ipsarum; et est coloris ruffi, et dicitur gieft glandium.*** Apud Golium desideratur verbum; Freytagius habet quidem, nulli tamen radici subscriptum. Idem verbum alio junctum جفت افريد [افريذ alias], *ǵeft aferîd*, ab Elcharasch ad Avicennam apud Plempium et ab Ibn Harardas apud Ibn Baithar (in Dietz collect. mss.) ***Persicum*** esse dicitur; cujus linguae (mihi ignotae) verba video haud pauca a Arabibus varie scribi nunc per kaf, nunc per gim, e. g. بنك et بنج, semen Hyoscyami, بنكان et فنجان clepsydra, انكدان et انجدان; silphium etc. Et sic, ni fallor, Nicolai interpres

pro جفت scripsit كفت, *keft*, ex quo Alfredus *cafta*, librarii denique casta, casca e. s. p. fecerunt. Haud quidem ignoro, *castam*, *cascam*, *cassam* apud medii aevi scriptores promiscue occurrere pro *cista* seu *arca*; quas verborum formas libenter concedo ab aliquo usurpari potuisse pro plantae *capsa* seu capsula; nec nego, Albertum, verborum similitudine deceptum, hac licentia usum esse: Alfredum autem, qui tot verba Arabica servavit incolumia, *castam* fecisse ex *keft*, vix crediderim; adhuc minus, Nicolaum ipsum glandi capsulam seu ἀγγεῖον tribuisse, postquam Theophrastus eodem, quo ille hausit, loco expressis verbis, nullius arboris semen in vasculo fieri pronunciaverat.

p. 21 *l.* 14. ***Quidam in caftis multis et tela et testa, ut nuces.*** — Nux *juglans* est, Theophrasti κάρυον, cujus semen hic l. c. *testa* tantum, Nicolaus praeter testam et *tela* et *caftis* inclusum dicit. Nec male. *Telam* dixisse videtur cuticulam seminis propriam, quam nos testam vocare solemus, quamquam nil testacei ei insit, duplicemque esse scimus, quod illum fugit. *Testa* ei haud dubie est, quod nobis putamen bivalve; *caftae* vero cortex ab apice demum quadrifariam disrumpens. Quantum igitur a Theophrasto discessit, tantum ad naturam appropinquavit. At *caftam* seu *geft* paulo antea proprie de glandis putamine dici statui; nec tamen unice, ut ibidem ex Avicenna et Ibn Baithare monstravi, quibus *geft aferîd* alius cujusdam plantae putamen esse videtur.

p. 21 *l.* 15. ***Quidam cito maturantur*** etc. — His etiam Nicolaus Theophrastum quodammodo amplificavit, qui lib. I cap. 14 §. 3, exemplis omissis, nil hac de re prodidit, nisi τὰ μὲν πρωϊβλαστῆ καὶ πρωΐκαρπα, τὰ δὲ ὀψιβλαστῆ καὶ ὀψίκαρπα, *alias germina fructusque cito, alias sero producere.* Adde tamen lib. III cap. 2 §. 1: ἰδία δὲ πρὸς τὰ ἥμερα τῶν ἀγρίων ὀψικαρπία κ. τ. λ. *propria autem prae domesticis est silvestrium sera fructuum maturatio* etc.

p. 21 *l.* 19. ***Quaedam hiemem consequuntur, antequam maturescant.*** — Theophr. lib. III

cap. 4 §. 4. post aliorum fructuum tempora indicata, pergit: ἡ δὲ ἀρία χειμῶνος ἀρχομένου, καὶ μηλέα μὲν τοῖς πρώτοις ψύχεσιν, ἀχρὰς δὲ ὀψία χειμῶνος· i. e. *aria autem hiemis initio*, *malus primis frigoribus*, *pirus silvestris serotina vero hieme* sc. fructum maturant. Cf. de caus. plant. lib. I cap. 17, ubi et *morum* (non vero cerasum) fructus suos mature edere dicitur.

p. 21 *l.* 20. *Colores fructuum et florum valde sunt diversi.* — Ipsorum diversitates fusius tractat Theophr. hist. plant. lib. I cap. 13.

p. 21 *l.* 21. *Planta quaedam cum totalitate sua est viridis* etc. — De coloribus plantarum in universo Theophrastus neque in hist. plant. neque in libro, qui fertur esse Aristotelis, de coloribus §. 23 sqq. edit. Schneiderianae (opp. Theophr.) seu cap. 5 edit. Bekkerianae (opp. Arist.); ibique legitur §. 24 (pag. 794 b. vers. 19 ed. Bekk.): ἐν πᾶσι δὴ τοῖς φυτοῖς ἀρχὴ τὸ ποῶδές ἐστι τῶν χρωμάτων· *in omnibus igitur plantis viridis est colorum primus.* Et porro §. 36 (pag. 796 b. vers. 2): ἐν ὅσοις δ' ὑπάρχει τῶν φυτῶν ἓν χρῶμα μόνον, οἷον τὸ λευκὸν ἢ τὸ μέλαν ἢ τὸ φοινικιοῦν ἢ τὸ ἁλουργές, τούτων δὲ πάντων οἱ καρποὶ διαμένουσιν ἀεὶ τὴν αὐτὴν ἔχοντες τοῦ χρώματος φύσιν, ὅταν ἅπαξ ἐκ τοῦ ποώδους εἰς ἄλλην χρόαν μεταβάλλωσιν· i. e. *In quibus vero plantis unus tantum color obtinet, qualis albus aut niger aut purpureus aut violaceus, harum omnium fructus permanent semper in eadem coloris natura*, *postquam semel ex viridi in alium colorem transierunt.* Cf. etiam infra lib. II cap. 14.

p. 22 *l.* 1. *Figura fructus* etc. — Theophr. hist. plant. lib. I cap. 12 §. 1: σχῆμα οὐδὲν περικάρπιον εὐθύγραμμον, οὐδὲ γωνίας ἔχει· *figuram neque ullum pericarpium rectilineam*, *neque angulos habet.* Ad quam intelligendam sententiam, quam ante Schneiderum facile omnes condemnarunt, meminisse juvabit differentiae, quam ipse Theophr. de caus. pl. lib. I cap. 16 *fructum* inter et *pericarpium* constituit: *illius coctionem fieri ad generandas propagandasque arbores*, *hujus ad alimenta nostra*; *fructumque minorem durioremque*, *succique*

deterioris, *a pericarpio et humidiori et majori includi.* Sunt igitur poma, drupae, baccae, pepones, quorum partibus carnosis pulposisve *pericarpii* nomen convenit: et hujusmodi fructus rotundatos nec unquam angulosos esse, Theophrastus contendit. Nicolaus contra de plantarum silvestrium fructibus, pericarpio molli saepissime destitutis, loquitur, eosque neque omnes angulosos, neque omnes in longitudinem extensos esse (ut e. g. sunt siliquae) asseverat; nisi malueris *super rectam lineam*, quia angulosis fructibus opponitur, ita interpretari, ut sit fructus *non angulosus*, i. e. *rotundatus*. Ceterum cf. Schneideri ad priorem Theophr. locum commentarii, ejusque praefat. ad tom. I pag. XXXII.

p. 22 *l.* 4. *ap.* — Alb. tract. II cap. 8: *de diversitate plantarum aromaticarum.*

p. 22 *l.* 4. ***Arborum aromaticarum*** etc. — Theophr. l. c. §. 4: ἐνίων γὰρ εὔοσμα τὰ ἄνθη μᾶλλον ἢ τὰ φύλλα, τῶν δ' ἀνάπαλιν τὰ φύλλα μᾶλλον καὶ οἱ κλῶνες, ὥσπερ τῶν στεφανωματικῶν, τῶν δὲ οἱ καρποὶ, τῶν δ' οὐδέτερον, ἐνίων δὲ αἱ ῥίζαι, τῶν δέ τι μέρος· i. e. ***Quarundam enim odorati sunt flores magis quam folia, quarundam contra folia magis et surculi, velut coronariarum, aliarum vero fructus, aliarum neutra pars, aliarum radices, aliarum aliae.*** Neque igitur hic ulla *balsami* fit mentio; neque infra lib. IX cap. 6, ubi plenior balsami historia, *omnes ejus partes odoratas esse* dicitur. Sed ipsius Nicolai locum Arabice servavit Abd-Allatif pag. 15 edit. minoris (cura Pauli): وقال نيقولاوس في كتاب النبات ومن النبات ما له رايحة طيبة في بعض اجزايه ومنه ما رايحته الطيبة في جميع اجزايه كالبلسن ۞ i. e. ***Dixit Nicolaus libro plantarum: inter plantas sunt, quibus odor aromaticus est in quibusdam earum partium, et sunt, quibus in omnibus earum partium est, velut balsamo.*** Et hic est unus locorum, quibus probatur, Nicolaum librorum nostrorum de plantis auctorem esse.

p. 22 *l.* 8. ***Cap. XVI.*** — Alb. tract. II. cap. 9: ***de diversitate generationis plantarum.***

p. 22 *l.* 8. ***Quaedam arbores nascuntur plantatae*** etc. — Theophr. hist. plant. lib. II cap. 1 §. 1: *αἱ γενέσεις τῶν δένδρων καὶ λως ὅτων φυτῶν ἢ αὐτόματοι, ἢ ἀπὸ σπέρματος, ἢ ἀπὸ ῥίζης, ἢ ἀπὸ παρασπάδος, ἢ ἀπὸ ἀκρέμονος, ἢ ἀπὸ κλωνὸς, ἢ ἀπ' αὐτοῦ στελέχους εἰσὶν, ἢ ἔτι τοῦ ξύλου κατακοπέντος εἰς μικρά· καὶ γὰρ οὕτως ἀναφύεται* [*οὕτως ἔνια φύεται*, Schneider, nulla, ut mihi quidem videtur, urgente necessitate]; i. e. ***Generationes arborum et summatim plantarum aut spontaneae sunt, aut ex semine, aut ex radice, aut ex avulsione, aut ex ramo, aut ex surculo, aut ex ipso caule, aut etiam ligno in frusta conciso; namque sic quoque succrescunt*** [***quaedam crescunt***, ex Schneideri conjectura]. Uno itaque tenore Theophrastus cuncta divisionis membra enarrat, quae Nicolaus bis dividit, primum distinguens generationem et ***artificialem*** et ***naturalem*** et, ut ita dicam, ***praeternaturalem*** seu ***spontaneam;*** tum denuo ***artificialem*** per plura membra distribuens.

p. 22 *l.* 9. ***Siquidem,*** — pro quidem, ut cap. 1 bis, et saepius.

p. 22 *l.* 10. ***Vel a semine.*** — Qui generationis modus, jam in divisione prima occurrens, hic ea, ni fallor ratione repetitur, ut hic intelligenda sit disseminatio plantarum ***artificialis***, ibi vero ***spontanea.***

p. 22 *l.* 11. ***Vel tota transfertur.*** — Sic Theophrasti verba *γένεσιν ἀπ' αὐτοῦ τοῦ στελέχους* aut a Nicolao intellecta, aut ab ejus interpretibus distorsa videntur.

p. 22 *l.* 11. ***Parum contusae.*** — Albertus: ***aliquantulum contunduntur et scinduntur inferius, ubi infiguntur terrae, ut facilius et citius trahant nutrimentum.*** Neque aliter Nicolai verba Latina intelligi poterant. Comparatis autem Theophrasti verbis supra transcriptis, nullus dubito, Alfredum, accusativo quodam adverbiali ***parvitatem*** exprimente deceptum, ***parum*** vertisse, quod verti oportuisset ***in parva*** seu ***minutim.***

p. 22 *l.* 13. ***Est quoque melior insitio similium in similia et proportionalia.*** — Theophr. l. c. §. 4. de insitionibus atque inoculationibus se alio loco acturum ait; stetitque promissis de caus. plant. lib. I cap. 6, ubi §. 2 haec etiam leguntur: *εὐπρόσφυτον δ' ἀεὶ τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον*, ***optime vero semper convalescit simili simile.*** Nec non difficultatis meminit, cui dissimilium conjunctio sit obnoxia, nullis tamen propositis ejusmodi conjunctionum exemplis, quibus Columellae, Plinii, Palladii, et prae reliquis geoponicorum scripta scatent, quorumque nonnulla Nicolaus mox tibi exhibebit.

p. 22 *l.* 15. ***Mali in pirum.*** — Albertus: ***mali in malum, piri in pirum.*** Quod profecto melius; sed legeritne ita, an correxerit, dubito. Neque illud omnino damnandum, quum auctor de insitionibus non solum in similia, sed etiam in ***proportionalia***, vel ut hodie dicere consuevimus, in affinia, agat.

p. 22 *l.* 16. ***Insitio in diversis generibus.*** — Quicquid veteres supra memorati de ejusmodi insitionibus somniaverint, de herbarum in herbas insitionibus, quales sequentes esse videntur, alibi nihil prorsus reperi. Quam ob rem hic quoque sub herbarum nominibus arbores latere persuasum habeo. Sed videamus de singulis.

p. 22 *l.* 16. ***Artemisiae in adul silvestre.*** Quae plantae sint nescius, dicam duntaxat, quae esse possint. ***Lauri*** nomen Arabicum est دهمست, ***damasit***, cum articulo ***al-damasit*** seu, ut pronunciare solent, ***ad-damasit.*** Hinc ***artemisiam*** factam esse, non improbabile videtur. Laurum vero in fraxinum inseri, geoponicor. lib. X cap. 76 narratur. Ibidem vero legitur, ***Damascena*** (sc. pruna) inseri in omnem pyrastrum, in cotoneam et in malum. Arabice dicenda essent الدمشقي ***ad-dimaschqia***, quod, unica litera neglecta, haud minus assonat ad ***artemisiam;*** Nicolaoque Damasceno, patriis proventibus superbiente (cf. ad ***perseam*** annot.), satis conveniret, ut hujus arboris Damascenae inprimis meminisset. Sed qua ratione ex Adul silvestri vel artemisiam silvestrem vel

absinthium expiscati sint, plane ignoro. Nomina plantarum Arabica huic voci similia sunt أثل, *atl*, tamarix, أطا, *itha*, salix, unde linea vel minutissima annexa أطل, *athl*, fieri poterat. Si vero, ut credere fas est, prima nominis syllaba ad articulum pertinet, proxime accedit الدلب, *ad-dulb*. Literam finalem non curo, quia vox sequens بري, *bari*, i. e. silvestris, eadem litera incipit, literaeque duplicatae a librariis veteribus negligi solebant. Est autem haec arbor *platanus*, speciemque ejus sylvestrem pro *acere* habere liceret; et quidem pro *Cretico*, quod Syriae indigenum esse testatur Pocockius itineris edit. German. tom. III pag. 271.

p. 22 *l*. 17. *In botam*. — Aut بادام, *bâdâm*, amygdalus, aut بطم, *botham*, terebinthus, esse videtur; hoc tamen ea de causa verisimilius, quia amygdali saepius fit mentio, unde colligere licet, nomen ejus Arabicum Alfredo non ignotum fuisse.

p. 22 *l*. 20. *Quaedam enim melius faciunt*. etc. — Abhinc usque ad capitis finem ea, quae Theophr. lib. II cap. 2, ita mutilata partimque adulterata sunt, ut vix recognoscas. Quin initio Theophrastus plane contrarium docere videtur: *quae ex fructu, ea omnia deteriora fieri*. At paulo post §. 7 exceptiones statuit sequentes: *ἀνάπαλιν δὲ ὄλιγα καὶ ὀλιγαχοῦ λαμβάνει μεταβολὴν, ὥστε ἐκ σπέρματος ἀγρίου ποιεῖν ἥμερον, καὶ ἐκ χείρονος ἁπλῶς ποιεῖν βέλτιον*· i. e. *E contrario autem paucae paucis locis ita mutantur, ut ex semine silvestri faciant hortense, et ex pejori faciant melius*. Et sic, pergit, in Aegypto atque Cilicia punicam se habere. Amygdalum vero, saepius hoc ipso capitulo memoratam, hac occasione silentio praeterit.

p. 22 *l*. 22. *Quarundam item semen, cum debiles fuerint, deficit*. — Theophr. l. c. §. 4: *αἱ δὲ ὥστε μὴ ἁδρύνειν, ἀλλὰ μέχρι τοῦ ἀνθῆσαι μόνον ἀφικνεῖσθαι*· i. e. *Aliae vero ne fructificant quidem, sed usque ad florem tantum perveniunt*. Palmae autem pinusque exempla, quibus Nicolaus utitur, Theophrastus

non solum praeterit, sed etiam alio loco §. 2 easdem iis annumerat, quae non nisi ex semine fiant.

p. 23 l. 4. *Cap.* 17. — Alb. tract. II cap. 10: *de alterationis diversitate, quae fit in plantis.*

p. 23 l. 4. *Arbor quoque .... fructifera.* — Theophr. lib. II cap. 7 §. 6: *ἐὰν δέ τι μὴ φέρῃ καρπὸν, ἀλλ' εἰς βλάστησιν τρέπηται, σχίζουσι τοῦ στελέχους τὸ κατὰ γῆν, καὶ λίθον ἐντιθέασιν, ὅπως ἂν ῥαγῇ, καί φασι φέρειν·* i. e. *Si qua vero fructum non ferat, sed ad stolones faciendos vertatur, findunt imum caulem, lapidemque interponunt, utpote rumpatur; et ferre dicunt.*

p. 23 l. 6. *In palmis quoque .... casum eorum.* — Theophr. l. c. cap. 8 §. 3 et 4: *ἀλλὰ γὰρ δὴ ταῖς μὲν συκαῖς αὗται βοήθειαι· τοῖς δὲ φοίνιξιν αἱ ἀπὸ τῶν ἀῤῥένων πρὸς τοὺς θήλεις· οὗτοι γάρ εἰσιν οἱ ἐπιμένειν ποιοῦντες καὶ ἐκπέττειν, ὃ καλοῦσί τινες ἐκ τῆς ὁμοιότητος ὀλυνθάζειν. γίνεται δὲ τόνδε τὸν τρόπον· ὅταν ἀνθῇ τὸ ἄῤῥεν, ἀποτέμνουσι τὴν σπάθην, ἐφ' ἧς τὸ ἄνθος, εὐθὺς ὥσπερ ἔχει, τόν τε χνοῦν καὶ τὸ ἄνθος καὶ τὸν κονιορτὸν κατασείουσι κατὰ τοῦ καρποῦ τῆς θηλείας· κἂν τοῦτο πάθῃ, διατηρεῖ, καὶ οὐκ ἀποβάλλει. φαίνεται δ' ἀμφοῖν ἀπὸ τοῦ ἄῤῥενος τοῖς θήλεσι βοήθεια γίνεσθαι. θῆλυ γὰρ καλοῦσι τὸ καρποφόρον· ἀλλ' ἡ μὲν οἷον μίξις, ἡ δὲ κατ' ἄλλον τρόπον.* i. e. *Haec igitur ficis auxilia; palmis autem illud masculi erga feminam: illi enim efficiunt, ut* [fructus] *maneant et maturentur, quod quidam propter similitudinem caprificari dicunt. Fit autem hoc modo: dum mas floret, spatham, in qua flos, simulatque hic adest, abscindunt, et lanuginem et florem et pulverem super feminae fructum decutiunt; quo facto retinetur, neque abjicitur. Itaque utriusque* [et palmae et ficus] *feminis a maribus auxilium ferri videtur; feminam enim vocant, quae fructum fert: sed illud quasi mixtio est, hoc alius rationis.*

p. 23 l. 9. *Discernitur quidem masculus a femina* etc. — Nescio an huc pertineant Theophr. verba l. c. cap. 6 §. 6: *οἱ μὲν ἄῤῥενες, αἱ δὲ θήλειαι· διαφέρουσι δὲ ἀλλήλων, καθ' ἃ ὁ μὲν ἄῤῥην ἄνθος πρῶτον φέ-*

ρει ἐπὶ τῆς σπάθης, ἡ δὲ θήλεια καρπὸν εὐθὺς μακρόν· i. e. *Aliae masculae, aliae feminae; differunt autem eo, quod mas florem primum fert in spatha, femina vero statim fructum magnum.* Noster enim de iis agere videtur utriusque sexus discriminibus, quae fructum antecedant. De quibus Kaempfer amoenitt. exoticc. pag. 672: *Nullae,* inquit, *sexus, quibus discernas, intercedunt notae, quam haec diversitas partus; ante cujus eruptionem mares a feminis aegre dignoveris. Palmicolae tamen perspicaciores ex frondium et caudicis liberaliori quodam vigore ac pleniori habitu mares colligere longo usu didicerunt.* Pariterque jam Plinius lib. XIII cap. 4 sect. 7, isque solus quod sciam inter veteres, de *feminarum comis blandioribus pronis, mascularum erectis* loquitur. Longe aliter noster; cujus verba male interpretata esse, neminem fugiet. *Masculus prius pullulat.* Quid ita? quum perenni fronde utroque gaudeat. Sed pone, interpretem طَلْع, *spadicem palmarum*, pro earundem foliis habuisse, et verbo طَلَعَ, i. e. *spadicem fecit palma*, pullulandi significationem tribuisse: tunc omnia congruent, differentiaeque erunt masculae palmae flos *praecocior, minor, odorus.* Revera quidem femina eodem quo mas tempore floret, sed horum flos nondum explicitus, illarum fructus plus minusve perfectus comedi solet, intercedente tempore satis longo. De *odore* floris masculi et Graeci et Latini silent; Kazvini autem, cujus particulam cl. Chezy in Sacy chrestom. arab. tom. I pag. 515 sqq. edidit, et versione commentariisque illustravit ibid. tom. III pag. 369 sqq., inter alia, quae palmis cum homine esssent communia, refert etiam لطلعها رايحة عجيبة كرايحة المني i. e. *spadicis suae odorem mirabilem, spermatis odori similem.* Eademque paulo junior repetit Ibn Alvardi, ea historiae suae naturalis et geographicae particula, quam primus Aurivillius Upsaliae 1752 seorsim edidit, deinde Michaëlis una cum reliquis Aurivillii dissertationibus recudi curavit Gottingae 1790.

p. 23 *l.* 12. ***Contingetque forte, quod ventus*** etc. — Neque haec, palmas venti ope fecundari, Theophrastus exhibet. Primus quod sciam Plinius l. c. de mare plantarum: *illum*, inquit, *afflatu .... reliquas maritare.* Cf. etiam geopon. lib. X cap. 4 §. 4 sqq., et Kazvini et Ibn Alvardi ll. cc.

p. 23 *l.* 13. ***Simulque cohaerebunt .... apprehensa.*** — Altera lectio *appensa* prius dicta loco inepto mere repetit. Hic autem de spontanea, ut ita dicam, palmarum fecundatione agitur, quae aut eminus, ope venti, aut cominus, foliorum sibi proximorum amplexu, perfici dicitur. Theophrastus haec etiam praeteriit; Plinius autem l. c: *circa singulos*, ait, *plures nutare in eum pronas blandioribus comis* etc.; ita ut fere legisse videatur Nicolaum, aut eodem cum ipso fonte hausisse incognito. Prolixiores vero de hac re et geoponicorum auctores et Arabes laudati.

p. 23 *l.* 15. ***Ficus quoque silvestres*** etc. — Theophr. lib. II cap. 8, quo de palmarum fecundatione, eodem etiam de ficuum caprificatione, agit. Suspendere autem, nec humi projicere caprificos jubet; nec secus alii.

p. 23 *l.* 16. ***Balaustia.*** — Balaustia non plantantur. *Vitem* omnis antiquitas oleae amicam celebrat, nec ullam aliam plantam. An haec sufficiunt, ut credas, Nicolaum scripsisse *ἀμπέλους*, *vites;* Arabem انبالس, *anbâlus*, quod ex Graeco ortum; Alfredum denique hinc fecisse *balaustia*? Sin minus, loco جلنار, *g'ulnâr*, balaustiorum, proponerem حثفر, *huṭfur*, amurcam, quam oleis maxime conferre, veteres rei rusticae anctores facile omnes praedicant. Tunc autem *simul plantare* interpretandum esset *plantandarum olearum radicibus affundere;* quod mihi quidem minus placet.

p. 23 *l.* 18. ***Nux, cum inveterata fuerit.*** — Et corruptione et defectu haec laborare autumo. Neque enim veterum ullus praeter nostrum, nucem in aliam speciem transformari, memoriae prodidit; neque ipse noster, in quamnam transeat, declaravit. Theophrastus in transmuta-

tionibus plantarum enumerandis, earumque causis perpendendis copiosissimus est, saepiusque eodem revolvitur. Huc loci sequentes prae reliquis pertinent. Hist. plant. lib. II cap. 4 §. 1 *sisymbrium* in *mentam*, *triticum* in *lolium* transire narrat; de caus. pl. lib. II cap. 16 §. 2 sqq. addit, et *populum albam* in *nigram*, et *linum* pariter ac *triticum* in *lolium* verti; ejusdem denique operis lib. V cap. 7 § 1 et 2, neglecto tritici linique in lolium transitu, denuo *ocimi* in *serpyllum* transitum inducit, hujusque rei causam refert solis ardorem, *populi* vero *albae* in *nigram* transeuntis senectutem. Quae cuncta noster ante oculos habuisse videtur. — Arabice populus alba vocatur حور, *'hauvar*, nigra vero حور رومي, *'hauvar rumi*, i. e. populus Romana seu Graeca. Nux autem in genere vocatur جوز, *ǵauz*, et juglans in specie جوز رومي, *ǵauz rumi* i. e. nux Romana seu Graeca. Quae utriusque nominis scripti (et جوز et حور) similitudo ipsum Avicennam induxit, ut, quae Dioscorides de populo nigra, eadem ipse de juglande narraret. Cujus erroris poenas dedit veteri cuidam glossatori, laudato a Plempio ad Avic. tom. II pag. 139. Eodem denique errore captum puto nostri interpretem Latinum, nec ullus dubito, quin sub *nuce populus alba* lateat. Cur vero non addidit *in 'hauvar?* Fortasse scripsit: *ut nux rumi inveterata huer fit*, unde postea *fuerit;* at non magni hanc conjecturam facio.

p. 23 *l.* 19. *Calamentum transmutatur in mentam. Terugenaque .... fiet sesebram.* — Auctore Theophrasto ll. cc. *sisymbrium* in *mentham*, *ocimum* in *serpyllum* transeunt. Quarum plantarum una, *mentha*, omnis dubitationis expers est. Nec minus de Alfredi *terugena* constat, esse *ocimum* Theophrasti. Etenim ترنجان, *turunǵan*, a ترنج, *turunǵ*, citro medica, profectum plantam citri odore praeditam significat. De qua Simon Januensis in clave sanationis sub voce *turungen*: *Arabice est dictum citraria*, *et est aut melissa aut*

ocimum citratum, quod habet odorem citri. Et ego vidi illud, et existimo, quod ejusdem sit virtutis cum melissa; quare de quocunque dicatur, non refert. Idem testantur, quae, cujuscunque sint, in Mathaei Silvat. pandectar. medic. editione Veneta 1492 fol. min. (non tamen in earundem edit. priore Menteliana sine loco et anno fol. max.) leguntur sub voce *terugo*: *item citratum*; *et Graece vocatur species quaedam ocimi.* Porro et *sisymbrium* Theophrasti et *sesebra* Alfredi certe homonyma sunt, conjuncta quasi inter se per Arabicum سيسنبر, *sisinber;* plantae vero minime sunt eaedem, sed Theophrasti *sisymbrium* est Alfredi *calamentum*, hujusque *sesebra* illius *serpyllum.* Quae difficultas eo augetur, quod Theophrastus de caus. plant. lib. II cap. 16 §. 4 *sisymbrium* suum a *calamintha* (quam medio aevo *calamentum* dicebant) sequentibus diserte distinguit: *σισύμβριον εἰς μίνθαν κατὰ τὴν ὀσμὴν εἴπερ ἄρα μεταβάλλει, μόνον ἀπόλυον τὴν οἰκείαν, ἐξαμαυρούμενον διὰ τὴν ἀγρίαν, ἐκείνης δὲ τὴν μορφὴν οὐ λαμβάνον, ἀλλ' ὥσπερ ὅμοιον ταῖς καλαμίνθαις γινόμενον*· i. e. *Sisymbrium in mentham quoad odorem, si quando, transit, proprium tantum feritate corruptum amittens, illius vero formam non assumens, sed quodammodo simile factum calaminthis.* Verum tanta plantarum labiatarum inter se similitudo est, ut apud plerosque veterum pleraeque earum aliis, aliaeque iisdem occurrere videantur nominibus, et de *serpyllo sisymbrio*que ne sibi quidem ipse Dioscorides constet; quippe qui, *sisymbrium* vocari quoque *serpyllum silvestre* asserens, nihilo minus de hoc postea peculiari agat capitulo. Avicenna autem de نمام, *nemmâm*, sive *serpyllo* ingenue fatetur هو السيسنبر, *esse sisymbrium*; eique vires tribuit, quas Dioscorides partim *sisymbrio* partim *serpyllo* adscripserat. Quae quum ita sint, Alfredi cum Theophrasto in *sisymbrii* nomine convenientiam fortuitam esse, plantarumque dictarum nomina sic sibi respondere autumo:

Theophrasti et Nicolai:	*Interpretis Arabis:*	*Interpretis Latini:*
σισύμβριον,	فونجنج	calamentum;
μίνθη,	نعناع	mentha;
ὤκιμον,	ترنجان	terugena;
ἕρπυλλον,	سيسنبر vel نمام	sesebra.

Quae denique plantae nominibus istis a Theophrasto eumque secutis designatae sint, donec flora Attica melius innotuerit, quaestionem plane irritam esse existimo. Hucusque id tantum video, neque Sprengelium neque reliquorum, qui in hac disquisitione desudaverint, ullum rem acu tetigisse, praesertim in *ocimo* enucleando, quod, quicquid Sprengelius sive ad Theophrastum tom. II pag. 32 et 395, sive ad Dioscoridem tom. II pag. 470 dixerit, nostrum *ocimum basilicum* esse nequit.

p. 23 *l.* 21. ***Secus mare viride.*** — Arabes, quos inter Ibn Alvardi (vid. notic. et extr. des mss. etc. vol. II pag. 48), ***sinum Persicum*** hoc nomine appellant. Albertus contra meteoror. lib. II tract. II cap. 17 (opp. edit. Jammy tom. II part. III pag. 53) de ***mari rubro***, quo auctore nescio, narrat, ante Philippi Macedonis tempora fuisse ***viride***, postea et colorem et nomen mutasse. Sed quicquid est, parum refert, quando quidem nostri auctoris ***terugena***, quod nullus dubito, Theophrasti ***ocimum*** est. De hoc enim ille de caus. plant. lib. V cap. 7 §. 2: *τὸ δ' ὤκιμον τὸ ἐν ἡλίῳ πολλάκις κείμενον ἀφερπυλοῦται διὰ τὸ καταξηραίνεσθαι μᾶλλον*, i. e. ***ocimum vero soli frequens expositum in serpyllum transit*** (seu ***serpyllo fit simile***) ***propter nimium aestum.*** Unde colligo, nostri verba ***secus mare viride*** orta esse ex Theophrasti verbis *τὸ ἐν ἡλίῳ πολλάκις κείμενον.* Quod qui fieri potuerit? Facillime. Ejusdem radicis, cujus بحر, *baʿhr*, mare, est etiam باحور, *bâʿhûr*, fervor aestatis. Potuit igitur Arabs Nicolai Theophrastive verba vertisse الي باحور اخير,

extremo aestatis fervore; interpres autem Latinus legisse videtur الي بحر اخضر, *ad mare viride.* Literarum differentia non adeo gravis est, et alterutrum verbum corruptum sufficiebat ad alterum conjectura corrumpendum. Praeterea hac occasione oblata moneam, in cl. Freytagii Lexico Arabico sub voce بحر legi البحر الأخضر *sinum Arabicum*, *alias mare Indicum*, ubi legendum videtur الأخضر, et vertendum esset *sinum Persicum.*

p. 23 *l.* 22. *Seilam.* — Ita lego, quia proxime accedit haec lectio ad شيلم *schailam*, i. e. lolium, aïra vel aliud quoddam segetum vitium. Sunt autem Theophrasti verba de caus. plant. lib. II cap. 16 §. 2: ἔτι δὲ καὶ τὸν πυρὸν ἐξαιροῦσθαι, καὶ τὸ λίνον· *porro et pyrum in aïram transire*, *et linum.*

p. 23 *l.* 22. *Belenum.* — Quod de hac planta Nicolaus, idem de *persea* narrant Dioscorides lib. I cap. 187 aliique, لبخ, *lebach* Arabes, quos inter optime de ea egit Abd-Allatif cap. 2. *Belenum* igitur vocem corruptam esse pro *le bach*, clarum est; corruptio vero quomodo acciderit, cum Jordano pag. 185 me nescire fateor. Gravior quaestio est, quaenam sit planta? Minime una quaedam, respondeo, sed altera *Aegyptiaca* fructu eduli, de qua mox videamus, altera *Persica* fructu venenato, quam jure autumant esse Dioscoridis στρύχνον μανικὸν, ὃ ἔνιοι πέρσιον ... ἐκάλεσαν· i. e. *strychnum furiosum*, *quod quidam persium vocavere*, quod autem Sprengelius ad Dioscor. *Solanum sodomeum* esse existimat. Hinc igitur illa fabula; non ex acidi cyanici veneno, malorum Persicorum nucleis ita abscondito, ut absque artis chemicae ope vix sentiatur; sed ex nominum *perseae* atque *persii* similitudine. Nec adeo male Hispani quondam *belenum* esse *hyoscyamum* contendebant (cf. Jourdain pag. 185 et 348), nisi forte fortuna error alter alterum expulit. Valde enim suspicor, eos *belenum* non a *lebach* profectum putasse, sed a بنج, *beng*, *hyoscya-*

mo. ***Persea*** vero ***Aegyptiaca*** quae sit, diu disceptarunt, et adhuc fere sub judice lis est. Sunt qui *malum Persicum* putabant contra tot veterum testimonia. Clusius *lauri* speciem ex America meridionali allatam volebat. Majori veritatis specie Schreber (in Roemer et Usteri Magaz. f. d. Botanik, Stück IV, 1788 pag. 46 sqq.) ***Cordiam Myxam Linn.*** esse enixe contendebat; sed etiam hanc opinionem Silv. de Sacy ad Abd-Allatifi versionem Gallicam pag. 47 sqq., nescio majorene eruditionis copia an ingenii sagacitate refutavit. Postremo de Lille in descript. de l'Egypte edit. II tom. XIX pag. 263 sqq et tab. 28 novum plantarum genus, ***Balanitem Aegyptiacam***, condidit, Graecorumque *perseam* Arabumque *lebach* esse sibi et, ne quid dissimulem, mihi quoque persuasit, nec tamen Sprengelio neque Schneidero, quorum ille contra Silvestrem de Sacy Schreberi, hic nullius partes tenent; quod, quum neuter egregiam Silvestris de Sacy dissertationem (sic enim hanc adnotationem dicere fas est) legisse videatur, minoris facio.

p. 24 *l.* 1. ***In Aegyptum et in Syriam.*** — Alberti lectio *et Jerusalem*, per se jam alicujus ponderis, Rogerii Baconi auctoritate insuper fulcitur (cf. Jourdain pag. 348 ed. Germ.). Codicum lectiones nimium corruptae suppari jure, dum liberet, in utramque partem cogi possent. Nihilo secius, post comparata sequentia Nicolai apud Abd-Allatifum verba (pag. 9 edit. minoris cura Pauli), *in Syriam* legendum esse non haesitavi. Sunt autem haec: قال نيقولاوس واما اللبخ فقد كان في ارض فارس قاتلا فنقل الي الشام والي مصر فصار جيدا ماكولا; i. e. ***Dixit Nicolaus:*** *lebach quod attinet, est in regione* ***Persiae*** *letale; et translatus est in* ***Syriam*** *et in* ***Aegyptum****, et factus est bonus esu.* Ad verbum reddidi, ne opinionis gratia quicquam flexisse videar. Silvester de Sacy ad Abd-Allatif pag. 64 porro commemorat: ***Nicolaus est le seul***, *je crois, qui suppose que le* ***lebach*** *ou* ***perséa*** *ait été cultivé en* ***Syrie.*** Praeterea cf. praefatio nostra.

p. 24 *l.* 2. *Amygdalae quoque* etc. — Theophr. hist. pl. lib. II cap. 2 §. 11: τῇ θεραπείᾳ δὲ μεταβάλλει ῥόα καὶ ἀμυγδαλῆ· ῥόα μὲν κόπρον ὑείαν λαβοῦσα καὶ ὕδατος πλῆθος ῥυτοῦ· ἀμυγδαλῆ δὲ ὅταν πάτταλόν τις ἐνθῇ, καὶ τὸ δάκρυον ἀφαιρῇ τὸ ἐπιῤῥέον πλείω χρόνον καὶ τὴν ἄλλην ἀποδιδῷ θεραπείαν· i. e. *Cultura vero mutantur punica et amygdala: punica fimum suillum accipiens atque aquae copiam fluviatilis; amygdala, si quis clavum infigat, et lacrimam auferat defluentem diutius, ceterumque adhibeat cultum.*

p. 24 *l.* 6. *Multaeque plantae* etc. — Pergit Theophr. l. c. §. 12: ὡσαύτως δὲ δῆλον ὅτι καὶ ὅσα ἐξημεροῦται τῶν ἀγρίων, ἢ ἀπαγριοῦται τῶν ἡμέρων· i. e. *Pari modo clarum est* [mutari eas], *quae vel ex silvestribus mansuescunt, vel ex mansuetis silvescunt.*

p. 24 *l.* 7. *Locus ... labor ... tempus anni.* — Theophr. l. c. cap. 4 §. 2: καὶ ταῦτα μὲν ἔοικε χώρας τε μεταβολῇ καὶ θεραπείᾳ γίνεσθαι· .... μεταβάλλουσι δὲ καὶ κατὰ τὰς ὥρας κ. τ. λ. i. e. *Atque haec videntur locorum mutatione et cultu fieri; .... verum mutantur etiam secundum anni tempestates* etc.

p. 24 *l.* 9. *Plantantur quoque plurimae* etc. usque ad cap. fin. — Quasi in compendium redegit auctor, quae Theophr. de caus. pl. lib. III cap. 2 §. 6 et cap. 3 disertis verbis exposuit. Ex quibus haec repetere sufficiat: *in Aethiopia et India, ubi imber aestivalis frequens, et in Aegypto, ubi Nilus, paulo antea vel postea plantari; regionibus vero irriguis, pluviosis, paludosis, ut in Laconia, aestate sub ortum caniculae.* Jam vero apud nostrum quomodocunque legeris, *Laconiam* non extorquebis. Altera lectio, *in vico Roma*, satis apta videtur. Arabicum enim رومي, *rumi*, Romanum sonans, re Graecum declarat, et بلاد رومي pariter et vicus et regio aliqua Romana i. e. Graeca esse potest. Altera lectio, *in Coruma*, optimi codicis auctoritatem prae se ferens, alteriusque codicis Albertique lectionibus parum diversis sustentata, licet a Theophrasto longe recedat, adhuc

magis placet: quippe quae Laconiae substituere videtur قرم, *Qirm* (die Krim) sive *Cimmerium*. Qua vero ratione pluralis numeri forma قروم, *Qurûm*, qua Arabs, prout videtur, usus est, cum grammaticis regulis concilianda sit, alii Arabice doctiores videant.

p. 24 *l.* 15. ***Cap. XVIII.*** — Alb. tract. II cap. 11: ***de diversitate plantarum, quae sumitur juxta foliorum et fructuum productionem diversam.***

p. 24 *l.* 15. ***Folia producunt.*** — Errore quodam dictum autumo pro ***germina***, *βλαστήματα*, ***producunt.*** Namque de foliorum aliarumque partium situ longe antea actum est; hic de propagatione agitur. Si ita est, ut opinor, Theophrast. de caus. pl. lib. I cap. 2 et maxime 3 huc pertinent; sin minus, nihil hujuscemodi apud Theophrastum occurrit.

p. 24 *l.* 20. ***Quaedam pluries*** etc. — Theophr. l. c. cap. 13 §. 9: *οὐ μὴν ἀλλ' οὐδέν γε, ὡς εἰπεῖν, τῶν διχαρπούντων ὅμοιον γίνεται τοῖς ἐξ ἀρχῆς, ἀλλ' ὡς ὁρμὴν μόνον τοῦ φυτοῦ λαμβάνοντος, οὐ συντελέσαντος τοῦ ἡλίου καὶ τοῦ ἀέρος·* i. e. ***At vero nullus, ut ita dicam, biferarum*** [fructus] ***similis fit primariis, quoniam plantae tantum, nec solis nec aëris adjuvantis impetum experitur.***

p. 24 *l.* 22. ***Uno anno fructificant, altero reficiuntur*** etc. — Theophrastus l. c. cap. 20 §. 3 verbo dicit, *παρενιαυτοφόρα*, quibus prae reliquis ***oleam*** adnumerat.

p. 25 *l.* 3. ***E contro melius fructificant*** etc. — Theophr. l. c. lib. II cap. 11 §. 10: *ὅσα δὲ πολυκαρποῦντα μὴ βραχύβια, μηδὲ ταχὺ γηράσκει, καθάπερ ἄπιος, ἀμυγδαλῆ, δρῦς, καὶ πρεσβύτερα γινόμενα καρπιμώτερα, καθάπερ ἐλέχθη·* i. e. ***Quae vero fructu exuberantes non breve vivunt, nec cito senescunt, ceu pirus, amygdala, quercus, eae etiam aetate provectae feraciores sunt, ut dictum est.*** Hinc, quid ***ilex*** nostro, clarum; quid autem interpres et Graecus et Latinus recentior legerint, quorum alter *αἴγειρος*, alter ***populi*** scripserint, me fugit.

p. 25 *l.* 6. ***Quamlibet earum cognoscunt per*** etc. — Silvestres ab hortensibus fere iisdem discernit Theophrastus hist. plant. lib. III cap. 2 §. 3: *ἅπαν δὲ τὸ ἐξαγριούμενον τοῖς τε καρποῖς χεῖρον γίνεται καὶ αὐτὸ βραχύτερον καὶ φύλλοις καὶ κλωσὶ καὶ φλοιοῖς καὶ τῇ ὅλῃ μορφῇ· καὶ γὰρ πυκνότερα καὶ σκολιώτερα καὶ σκηρότερα καὶ ταῦτα καὶ ὅλη ἡ φύσις γίνεται, ὡς ἐν τούτοις μάλιστα τῆς διαφορᾶς τῶν ἡμέρων καὶ τῶν ἀγρίων γινομένης·* i. e. ***Quaecunque vero silvestris facta est, ejus fructus fiunt pejores, ejusque et folia et rami et cortices et tota figura minor; quippe spissiora, crispiora, duriora, cum haec ipsa fiunt tum tota*** (illarum) ***natura, quibus potissimum hortenses a silvestribus discriminantur.*** Sed eodem modo plantas masculas quoque differre a femineis, Theophrastus, quod sciam, non docuit. Cap. 8 §. 1 ***hortensium a silvestribus differentiam proximam*** dicit ***ei marium a feminis.*** Num hisce noster se induci passus est?

p. 25 *l.* 10. ***Cap. XIX.*** — Alb. tract. II cap. 12: ***de modo perscrutandi de omnibus praedictis.***

p. 25 *l.* 10. ***Oportet ergo . . . in herbis minutis.*** — Haec etiam ad Theophrasti exemplar efficta puto, qui quidem l. c., discrimine hortensium a silvestribus leviter tacto, transit ad plantarum species his verbis: *ἑτέρα δὲ κατ' εἶδος αὐτῶν τῶν ὁμογενῶν· ὑπὲρ ὧν, ἅμα συνεμφαίνοντες καὶ τὰς ἰδίας μορφὰς τῶν μήτε φανερῶν καὶ γνωρίμων, λέξομεν·* (vulgatam lectionem retinui, Schneiderianam non intelligens) — i. e. ***Aliud verò*** (discrimen) ***est secundum ipsarum congenerum speciem; de quibus, simul indicantes etiam proprias formas earum, quae minus manifestae et notae, dicamus.*** Hinc Nicolaus ducem Theophrastum deserit, vel potius reliqua, quot ille libris, tot fere unius capitis verbis mirifice perturbatis absolvit.

p. 25. *l.* 11. ***Et genera per se.*** — Nullam prorsus lectionis varietatem reperio; vix tamen dubito, quin sit legendum *et olera*, et quin Nicolaus scripserit *καὶ θάμνους*. Cf. not. ad cap. 12.

p. 25 *l.* 15. ***Et est, quod considerabimus*** etc. — Noli putare, auctorem his verbis illorum omnium recensum promisisse. Equidem arbitror, hunc ipsum eorum, quae consideratione digniora essent, indicem idem esse, quod paulo antea auctor *antiquorum librorum medullam compendiose perscrutandam* vocaverat; nec quicquam desidero.

p. 26 *l.* 3. ***Et multas alias diversitates.*** — Verba postrema esse videntur. Quam ob rem sequentia aut spuria, aut praepostere collocata esse censeo.

p. 26 *l.* 5. ***Liber II.*** — Alb. lib. IV: *de virtutibus naturalibus plantae.* Etenim libri II et III, ut ipse dicere solet, *digressiones* sunt, quibus, quae primo libro, Pseudo-Aristotelem seu Nicolaum personatum quasi invite secutus, exposuit, ad ipsius Aristotelis disciplinam reformata retractat. Nicolaus vero hujus libri plurima ex Aristotelis meteorologicorum libris hausisse videtur, sed adeo alia extensa alia truncata alia penitus distorta, ut aegre recognoscas.

p. 26 *l.* 6. ***Cap. I.*** — Alb. tract. I: *de virtutibus originalibus plantae.* Cap. 1: *qualiter quatuor virtutes originales accipit a quatuor elementis.*

p. 26 *l.* 6. ***Planta tres habet vires*** etc. — Albertus secundam harum virium improprie *coagulationem*, proprie autem *conglutinationem* sive *continationem*, tertiam vero magis proprie *coagulationem* nuncupari asserit (Aristoteli πῆξις est, quam nuperi *concretionem* vertunt). Porro quartam addit virtutem, *ex genere aëris*, *raritatem.* Sed neque hanc neque illam divisionem, vereor, ne probaret Aristoteles. Qui quidem quatuor elementa per paria ita distinguit, ut aquam et terram passivas, aërem contra et ignem activos statuat. Illarum docet alterutram alteri instar glutinis esse (meteor. lib. IV cap. 4); unde sequitur, *conglutinationem* neque aquae neque terrae in specie, sed ambabus una tribuendam fuisse. Horum vero utrique *concretionem* tribuit (l. c. cap. 5 et 6), cui *raritatem*, tametsi ab aëre pendere existimet, minime tamen opponit. *Raritatem* autem categor. cap. 8 (pag. 10 a vers. 17 edit. Bekk.) expressis verbis docet, a qualitatis divisione prorsus

alienam esse, nec nisi partium corporis a se distantium situm declarare.

p. 26 *l.* 10. ***Cementum fictilis.*** — Jam vacillantem auctorem videsis. *Cementum* non est, quo *fixio* seu formae definitio fiat, sed quo uniuntur fictilia, ita ut virtus eadem et luti sit et aquae. Atqui secundum Aristotelem sic res se habet; Nicolaus longe aliud quid voluisse videtur.

p. 26 *l.* 17. ***Propter victoriam et digestionem.*** — Puta ignis activi seu caloris digerentis victoriam.

p. 26 *l.* 20. ***Eritque in digestione*** etc. — Plane sensu carent. Suspicor vero Arabicum وهو, quod hoc loco vertendum fuisset *et sic est, sic se habet*, perperam versum esse *eritque.* Tunc autem sequens *non sic* interpretandum esset: *digestio his solis nondum absolvitur.*

p. 26 *l.* 25. ***Superflua quaedam.*** — Ipse Nicolaus lib. I cap. 7: *Non fiet in planta aliquid superfluum;* et Arist. de part. anim. lib. II cap. 10: *τὰ μὲν οὖν φυτά (καὶ γὰρ ταῦτα ζῆν φαμέν) τοῦ μὲν ἀχρήστου περιττώματος οὐκ ἔχει τόπον· ἐκ τῆς γῆς γὰρ λαμβάνει πεπεμμένην τὴν τροφήν· ἀντὶ δὲ τούτου προΐεται τὰ σπέρματα καὶ τοὺς καρπούς·* i. e. ***Plantae vero (nam et has vivere dicimus) locum supervacanei excrementi nullum habent; ex terra enim concoctum hauriunt cibum; sed vice illius fundunt semina et fructus.*** Haec igitur, quae excrementorum vice sunt, intellige, ut auferatur contradictio.

p. 27 *l.* 3. ***Plantae vero secundo modo inest motus.*** — Arist. physic auscult. lib. VII cap. 2 tres *motus* species distinguit, motum secundum *locum*, secundum *qualitatem*, secundum *quantitatem*. Primam speciem dicit *lationem* (eaque plantis deest), alteram *alterationem*, postremam *accretionem* et *imminutionem*.

p. 27 *l.* 4. ***Vis terrae.*** — Non telluris, sed substantiae plantarum terrenae.

p. 27 *l.* 6. ***Herbae minutae in una hora unius diei generantur.*** — Arist. de gener. anim.

lib. III cap. 11 (pag. 762 a vers. 18 ed. Bekk.): *γίνεται δ' ἐν γῇ καὶ ἐν ὑγρῷ τὰ ζῷα καὶ τὰ φυτὰ διὰ τὸ ἐν γῇ μὲν ὕδωρ ὑπάρχειν, ἐν δ' ὕδατι πνεῦμα, ἐν δὲ τούτῳ παντὶ θερμότητα ψυχικήν, ὥστε τρόπον τινὰ πάντα ψυχῆς εἶναι πληρῆ. διὸ συνίσταται ταχέως.* ***Generantur autem in terra et in humore animalia et plantae, quoniam terrae aqua inest, aquae spiritus, universo autem calor animalis, ita ut quodammodo omnia animae plena sint. Hinc surgunt celeriter.***

p.* 27 *l.* 8. *Natura enim animalis in se diversa est. — Albert. ad hunc locum: ***animal secundum hoc habet generationem velociorem, quo fuerit similius in corpore.***

p.* 27 *l.* 8. *Non enim erit digestio, nisi in usu materiae ab animali. — Albert. ad. h. l.: ***materiae autem digestio non fit nisi usu, hoc est frequenti actione calidi super eam.***

p.* 27 *l.* 9. *Materia plantae illi est vicina. — Puta plantae ipsi. Arist. de partib. anim. lib. II cap. 3: *τὰ μὲν γὰρ φυτὰ λαμβάνει τὴν τροφὴν κατειργασμένην ἐκ τῆς γῆς ταῖς ῥίζαις.* ***Plantae enim cibum concoctum ex terra radicibus sumunt.***

p.* 27 *l.* 21. *Superfluitates.* — *Superflua auctori cum hoc ipso capitulo tum lib. I cap. 7 sunt excrementa. Hoc vero loco ***superfluitates*** succum nutritivum indicare videntur, nec ulla adest lectionis varietas.

p.* 27 *l.* 24. *Cap. II. — Alb. lib. IV tract. I cap. 2: ***in quo declaratur, quod raritas in corporibus est aërea.*** Tota vero digressio paulo solutior ad succorum in plantis ascensum spectat, in cujus causis investigandis physiologi nondum laborare desierunt.

p.* 28 *l.* 1. *In libro meteororum. — Hinc, ni fallor, eorum lapsus, qui ***Aristotelem*** hujus de plantis opusculi auctorem sibi finxerunt. ***Nicolai*** meteororum librum praeter ipsum nemo laudavit: ***Aristotelis*** libri vulgo circumferebantur, remque hic memoratam lib. I cap. 13 tractant. Dubito tamen, utrum opus Nicolai peculiare sit,

an potius pars aliqua *Summae philosophiae Aristotelicae*, de qua saepius laudata cf. praefatio nostra.

p. 28. *l.* 2. ***Terrae motus.*** — Cf. Arist. l. c. lib. II cap. 8.

p. 28 *l.* 9. ***Quia aqua est solida***, — i. e. continua, raritatis expers; et sic paulo post: *tota superficies aquae una est.*

p. 28 *l.* 16. ***In partibus plantae et animalis terrae motus non erit.*** — Ita ut Graecis terrae motus uno verbo est σεισμὸς, quod proprie quamcunque *concussionem* significat, sic etiam est Arabibus زلزال, a radice زلزل, *commovit*, *tremefecit.* Male igitur Alfredus *terrae motum* vertit, quem, quum ad plantas ad animalia ad fictilia ad vitrum transferretur, *concussionem* dicere oportebat.

p. 28 *l.* 19. ***Ascendere***, — scil. supra aquam, ergo natare.

p. 28 *l.* 23. ***Non propter folia mergitur.*** — Verbum Arabicum ورق, *varq*, et *folia* significat et *pecuniam signatam.* Sensus igitur procul dubio est, *nummum aureum in aquam projectum mergi non propter formam foliaceam* etc. Et haec est ratio, cur paulo ante *aureum* scripsi pro vulgari *aurum.*

p. 28 *l.* 25. ***Ebenus quoque*** etc. — Arist. meteor. lib. IV cap. 7 sub fin.: τὰ δὲ ξύλα ἐστὶ γῆς καὶ ἀέρος· διὸ ... ἐπὶ τῷ ὕδατι ἐπιπλεῖ, πλὴν ἐβένου; αὕτη δ' οὔ. τὰ μὲν γὰρ ἄλλ' ἀέρος ἔχει πλεῖον, ἐκ δὲ τῆς ἐβένου τῆς μελαίνης διαπέπνευκεν ὁ ἀήρ, καί ἐστι πλεῖον ἐν αὐτῇ γῆς. *Ligna vero sunt terrae et aëris; hinc ... aquae supernatant, praeterquam ebenus, quae neutiquam. Cetera enim plus habent aëris, sed ex ebeno nigra aër respiravit, estque in ea plus terrae.*

p. 29 *l.* 1. ***Sed oleum omne*** etc. — De olei natura ambigua diserte egit Arist. l. c. cap. 7 init., longe tamen aliter ac Nicolaus.

p. 29 *l.* 1. ***Et folia.*** — Lectionem falsam esse, quum tota demonstratio sequens ad olei nec ad foliorum na-

turam spectet, nemo non videt. Sed fortasse pro ورق, *varq*, folia, legendum erat ودك, *vadak*, adeps. Quae emendatio paulo audacior nunquam in mentem venisset, nisi apud auctorem quendam, de corporibus vel natantibus super aquam vel submergentibus fusius agentem, Nicolaumque, ni egregie fallor sequentem haec legerentur: *cujus exemplum sunt olera* [lege olea] *et adipes super aquam natantes.* Est autem auctor libelli, Aristoteli quondam adscripti, de causis proprietatum elementorum, cujus editione utor in Operibus Aristotelis cum comment. Averrois, Venet. apud Junt. fol. vol. VII pag. 111 a vers. 29. Literas ر et د in codd. mss. haud raro alteram pro altera reperiri, jam supra annotavi.

p. 29 *l.* 2. *Id autem jam ostendimus.* — Ubinam? Hoc ipso opusculo minime. Itaque, nisi legendum est *ostendemus*, auctor ad meteorologica sua iterum respicere videtur.

p. 29 *l.* 3. *In his*, — oleo et adipe, siquidem conjecturam meam modo expositam probaveris. Sin minus, non video, qua ratione auctor res inter se dissimillimas, et oleum et folia, per totam demonstrationem comprehendere, tum autem in fine de solo oleo pronunciare potuerit.

p. 29 *l.* 6. *Ut faciat ipsum*, — se ipsum.

p. 29 *l.* 9. *Lapides quoque* etc. — Neque Aristoteles neque Theophrastus de lapidibus libello, neque ipse Plinius de pumice in aquis supernatante retulerunt. Simile quid apud Alexandrum Aphrodisiacum, problem. lib. II nr. 77, legitur: *lapidem vel ferrum in aquam projectum sine ligni sustentamine mergi, cum ligno vero descendere non posse, quia aër per ligni meatus demissus elevet lignum nec demergi permittat.* Quo loco, si quid compertum habuisset auctor de lapidibus absque ligni ope natantibus, id certe non praeteriisset. Unicus auctor supra jam laudatus libelli de proprietatibus elementorum, qui Nicolaum legisse videtur, cap. 3, ubi de monte Aetna: *Egrediuntur*, inquit, *ex eo fumus et lapides combusti; perficitur ergo ignis in illo mari, et lapides natant super*

aquas. Quod est, quia omne corpus grave, quando aduritur, allevatur. Et similiter accidit istis lapidibus, collectis ex illo vulcano. Arist. opp. cum comment. Averrois vol. VII pag. 113 d. vers. 33.

p. 29 *l.* 17. ***Si ergo mutakefia.*** — متكافى, nomen agentis formae derivatae sextae a radice كفأ, *aequales inter se fuerunt* aut *ex aequo sibi responderunt.* Itaque vertendum fuisset: *si ergo alter alterum adaequat, mergetur dimidius lapis* etc. Qua voce, una cum *beleno* Jordanus pag. 184 ed. Germ. usus est ad probandam Graecae versionis Latinam, Latinae Arabicam originem. Graecus enim interpres, ut verbum Arabicum non intellectum evitaret, totum locum mutilare maluit.

p. 29 *l.* 20. ***Lapides .... sunt primum spuma, coagulabunturque.*** — Theophr. de lapidib. §. 19 hac via quosdam pumices, nec tamen omnes fieri, his verbis perhibet: ἐπεὶ καὶ τὸ ὅλον ἡ κίσσηρις ἐκ κατακαύσεως δοκεῖ τισι γίνεσθαι, πλὴν τῆς ἐκ τοῦ ἀφροῦ τῆς θαλάσσης συνισταμένης· i. e. *Nam in toto pumex ex ustione videtur quibusdam nasci, praeterquam qui ex maris spuma coalescat.* Sed auctor appendicis meteorologicorum Aristotelis ex Arabico Latine versae (quam Jordanus ipsius Aristotelis de mineralibus fragmentum esse autumat, quamque a codice mss. Guelpherbitano rescriptam coram habeo, lapides in universo duobus modis fieri docet, aut *conglutinatione*, aut *congelatione;* tum illam sic describit: *Aliquotiens etiam desiccatur lutum, fitque primum quiddam, quod medium est inter lutum et lapidem, et deinceps fit lapis. Lutum vero huic transitioni aptum est juxta solum, qui e sale non est* [haec verba inde a *juxta,* an recte nec ne legerim, dubito] *nec comminutum erit.*

p. 29 *l.* 26. ***Cap. III.*** — Alb. lib. IV tract. I cap. 3: *in quo ex incidenti determinatur, quod aqua dulcis est principium aquarum, et quod aqua est super terram, ut sciatur, quae sit virtus corporis mixtorum ex terra et aqua.*

p. 29 *l.* 26. ***Quod mare sit super arenas.*** — Quaestio, in qua haec disputatio versatur, triplex est: 1° qua de causa aqua naturaliter dulcis fiat salsa; 2° quid terram naturaliter compactam atque lutosam (lutum enim pro terra naturali habebatur, quo diversimode mutato et lapides et reliquae terrae species orirentur) comminuat et in arenam vertat; 3° cur utraque terrae aquaeque mutatio, hujus inquam salsedo, illius quasi arenacitas, ut ita dicere liceat, altera alteram comitari soleat?

p. 29 *l.* 27. ***Omnes terrae sunt dulces in gustu.*** — Puta, quandiu a naturali sua conditione non alienatae sint.

p. 29 *l.* 28. ***Prohibetur a sua alteratione.*** — A conversione in *aërem*, minime vero in terram, cujus statim ipse auctor mentionem facit. Mutua enim alterius elementi in alterum conversio, aucta nunc siccitate nunc humiditate, vincenteque nunc caliditate nunc frigiditate, totius veterum philosophiae naturalis fundamentum est.

p. 30 *l.* 1. ***Factaeque sunt salsae.*** — Maris salsedo, quum et fluvii incurrentes et vapores exeuntes essent dulces, mirifice veteres exercuit. Aristoteles meteor. lib. II cap. 3 eorum opinionem, qui mare admixtione quadam salsum fieri, absurdam dicit, fierique existimat terra adusta, nec tamen bene concocta. Rei illustrandae causa et sudoris et urinae et cineris salsedinem respicit. Namque excreta illa pariter ac cinerem a calore animali adusta, nec tamen perfecte concocta esse putabantur. Hinc patet, qua ratione veteres aquam salsam *adustam* atque *calidiorem* dixerint. Omnis autem gravitatis principium terra esse ducebatur; aqua salsa dulci gravior est: ergo magis terrena existimabatur.

p. 30. *l.* 2. ***Lutum ingenuum est,*** — i. e. naturale, nondum mutatum; quo sensu paulo infra legimus: *cum profundo cavaverimus, inveniemus lutum ingenuum. **Erit ergo hoc radix arenae*** etc. Quibus Alberti lectio *ingenitum* reprobatur. Quod apposui *est*, Arabes saepissime omittunt, eorumque interpretes Latini ad libitum modo supplent, modo negligunt.

p. 30 *l.* 19. *Hujus signum sensatum, quod terra sub aqua est*, etc. — Aristotele auctore, de caelo lib. IV cap. 5, elementa naturaliter ita disposita sunt, ut terra infima sit, huic supersedeat aqua, huic aër, ignis denique suprema teneat. Quae quum ita esse concesseris, sequi videtur, maris salsedinem mera terrae alicujus admixtione pendere non posse. Mox enim partes terrenae fundum peterent, aquaque dulcis fieret. Sin minus, aqua non supra terram esset, sed ejusdem ponderis.

p. 30 *l.* 22. *Senserunt autem quidam* etc. — Arist. meteor. lib. II cap. 2: ἡ μὲν οὖν αἰτία ἡ ποιήσασα τοὺς πρότερον οἴεσθαι τὴν θάλατταν ἀρχὴν εἶναι καὶ σῶμα τοῦ παντὸς ὕδατος ἥδ' ἐστίν· δόξειε γὰρ ἂν εὔλογον εἶναι, καθάπερ καὶ τῶν ἄλλων στοιχείων ἐστὶν ἠθροισμένος ὄγκος καὶ ἀρχὴ διὰ τὸ πλῆθος, ὅθεν μεταβάλλει τε μεριζόμενον καὶ μίγνυται τοῖς ἄλλοις, οἷον πυρὸς μὲν ἐν τοῖς ἄνω τόποις, ἀέρος δὲ πλῆθος τὸ μετὰ τὸν τοῦ πυρὸς τόπον, γῆς δὲ σῶμα, περὶ ὃ ταῦτα πάντα κεῖται φανερῶς· ὥστε δῆλον, ὅτι κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον καὶ περὶ ὕδατος ἀνάγκη ζητεῖν. τοιοῦτον δ' οὐδὲν ἄλλο φαίνεται σῶμα κείμενον ἀθρόον, ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων στοιχείων, πλὴν τὸ τῆς θαλάττης μέγεθος. i. e. ***Causa vero, quae majores nostros compulit, ut mare universae aquae originem et corpus esse putarent, haec est: videbatur rationi consonum esse, quemadmodum aliorum etiam elementorum est congesta massa et copia princeps, qua detracta recedunt ceterisque miscentur, ut ignis in sublimi, aëris copia post ignis locum, terrae corpus, circa quod haec omnia manifeste sita sunt; sic etiam, ut patet, de aqua eadem ratione inquirendum esse. Nec vero ullum aliud ejusmodi corpus constipatum, ei reliquorum elementorum simile, invenitur, praeterquam maris amplitudo.***

p. 31 *l.* 2. *Accipiamus ergo duo vasa aequalia* etc. — Arist. l. c. cap. 3 pag. 359 a vers. 12 ed. Bekk.: ἐὰν γάρ τις ὕδωρ ἁλμυρὸν ποιήσῃ σφόδρα μίξας ἅλας, ἐπιπλέουσι τα ᾠά, κἂν ᾖ πλήρη· i. e. ***nam si quis aquam***

salsam fecerit, sale vehementer immixto supernatant ova, etiam si plena sint.

p. 31 *l.* 8. ***Sic autem in mari mortuo*** etc. — Arist. l. c. vers. 16: εἰ δ᾽ἔστιν, ὥσπερ μυθολογοῦσί τινες, ἐν Παλαιστίνῃ τοιαύτη λίμνη, εἰς ἣν ἐάν τις ἐμβάλῃ συνδήσας ἄνθρωπον ἢ ὑποζύγιον, ἐπιπλεῖν καὶ οὐ καταδύεσθαι κατὰ τοῦ ὕδατος, μαρτύριον ἂν εἴη τοῖς εἰρημένοις· i. e. ***Cum vero est, ut quidam ferunt, in Palaestina ejusmodi palus, in quam si quis hominem vel jumentum vinctum projiciat, is supernatet, nec mergatur sub aqua, tum id testimonium erit eorum, quae diximus.***

p. 31 *l.* 9. ***Est propinquum figurae terrae.*** — صورة الارض, ni fallor; quod terrae et *figuram* et *conditionem* significare posset. Sensum esse patet, hanc aquam vulgari magis terrenam atque ponderosam esse.

p. 31 *l.* 13. ***Remotior ..... remotissima.*** — Noli de loco, sed de qualitate aquae intelligere. Aqua a terra *remotior* vel *remotissima* ea est, quae minus vel minime ad terrae naturam inclinat, i. e. dulcis. Salsam enim magis terrenam habitam esse, audivimus. Locum autem aquae naturalem a terra minime remotam, sed ei proximam esse, et ipse Nicolaus paulo ante et Aristoteles de caelo lib. IV cap. 3 docuerunt.

p. 31 *l.* 18. ***Illam salsedine.*** — Ex ambabus lectionibus, altera *illam salsedinem*, altera *illa salsedine*, quum utraque videatur inepta, tertiam feci, quam sententia postulabat. Sed verba Arabica fuisse possunt: يعلوه ملوحةً *superavit illam* [quod attinet ad] *salsedinem;* quem duplicem accusativum casum Alfredus perperam forte retinuit.

p. 31 *l.* 19. ***Illud corpus.*** — Lacunarum aquam puto.

p. 31 *l.* 19. ***Alio modo ergo ejus esse est ex aquis.*** — Salsedinis origo sueto modo a terra est; sed alio quodam modo est etiam ab aquis lacunarum. Nihil igitur interest *alio*ne legas, an *aliquo.*

p. 31. *l.* 20. ***Quod exit ab eis ut sudor.*** — Ut potus dulcis ab animalibus salsus exit, ut sudor, sic aqua dulcis a lacunis exit salsa, utroque casu, ut Aristoteli l. c. visum est, propter concoctionem non perfectam. Totum autem locum, ni forte mancus sit, ita exponam: ***ea salsedo, quae ut sudor exit a lacunis, originem ducit ex aquis, nec, ut alias solet, ex terra.***

p. 31 *l.* 22. ***Cap. IV.*** — Albert. lib. IV tract. II, ***qui est de modo et loco generationis plantarum.*** Cap. 1: ***de modo universali et primo generationis plantarum.***

p. 31 *l.* 22. ***Herbae. Et species.*** — Int. Lat. R. habet ***herbae earumque species***; Albertus ***herbae et omnes plantarum species;*** quasi herbarum species aliquid essent ab herbis diversum. Itaque, nisi contra codicum auctoritatem legere mavis ***herbarum species***, sic, ut feci, distinguendum videtur.

p. 31 *l.* 24. ***Salsedo ab aqua maris.*** — Suspicor, praepositionem Arabicam في hic non ***ab***, sed ***in*** vertendam fuisse. Cave tamen ne cum Intt. recentioribus salsedinem ex aqua maris et ex arenis deducere velis. Rectius Alb. vidit, duo proponi exempla, alterum salsedinis aquae marinae, alterum arenarum, quae aeque ac plantae, non ex elemento singulo, sed ex pluribus fiant.

p. 31 *l.* 26. ***Comprehendere has herbas.*** — In se continere, ideoque ministrare materiam plantarum, non tamen nisi accedente aëre stellarumque virtute.

p. 32 *l.* 1. ***Haec autem est aqua***, — eaque dulcis, in quam salsa etiam revertitur evaporatione. Id est, quod auctor sequentibus demonstrare conatur.

p. 32 *l.* 6. ***Ideo fiunt fontes*** etc. — Hoc modo ex aqua maris salsa fit aqua fontium dulcis.

p. 32 *l.* 7. ***Cibi***, — i. e. nutrimentum ex cibis paratum.

p. 32 *l.* 20. ***Cap. V.*** — Alb. lib. IV tract. II cap. 2: ***de locis, in quibus raro et male plantae generantur.***

p. 32 *l.* 22. ***Planta indiget duobus, materia scilicet, et loco suae naturae convenienti.*** — Tum haec, tum etiam antecedentis capitis nonnulla conferantur cum Arist. de gener. anim. lib. III cap. 11, pag. 762 a: *γίνεται δ' ἐν γῇ καὶ ἐν ὑγρῷ τὰ ζῶα καὶ τὰ φυτὰ διὰ τὸ ἐν γῇ μὲν ὕδωρ ὑπάρχειν, ἐν δ' ὕδατι πνεῦμα, ἐν δὲ τούτῳ παντὶ θερμότητα ψυχικήν, ὥστε τρόπον τινὰ πάντα ψυχῆς εἶναι πλήρη. διὸ συνίσταται ταχέως, ὁπόταν ἐμπεριληφθῇ. ἐμπεριλαμβάνεται δὲ καὶ γίνεται θερμαινομένων τῶν σωματικῶν ὑγρῶν οἷον ἀφρώδης πομφόλυξ. αἱ μὲν οὖν διαφοραὶ τοῦ τιμιώτερον εἶναι τὸ γένος καὶ ἀτιμότερον τὸ συνιστάμενον ἐν τῇ περιλήψει τῆς ἀρχῆς τῆς ψυχικῆς ἐστιν. τούτου δὲ καὶ οἱ τόποι αἴτιοι καὶ τὸ σῶμα τὸ περιλαμβανόμενον.* i. e. ***Generantur autem in terra humoreque animalia et plantae, quoniam terrae aqua, aquae spiritus, his omnibus calor animalis inest, ita ut quodammodo cuncta animae plena sint. Quam ob rem consistunt celeriter, cum comprehensus est*** [calor animalis]. ***Comprehenditur autem, et fit, incalescentibus corporeis humoribus, velut bulla spumosa. Jam vero differentiae nobilioris ignobiliorisque generis constituendi in comprehensione principii animalis est. Hujus autem rei causae sunt et loca et corpus*** [seu materia] ***comprehensum.***

p. 32 *l.* 25. ***Nec est in superfluo,*** — i. e. nec abundat in ea.

p. 33 *l.* 3. ***Erit ergo raritas inter partes ejus.*** — Nivem *spumam* esse auctor est Arist. de gener. anim. lib. II cap. 2; quem tamen locum noster non videtur spectasse.

p. 33 *l.* 8. ***Plantae sine foliis.*** — Lichenes puto, quos Linnaeus quondam fruticulosos dicebat.

p. 33 *l.* 15. ***Minoratur,*** — i. e. deterior fit.

p. 33 *l.* 18. ***Cap. VI.*** — Alb. lib. IV tract. II cap. 3: ***de locis, quibus bene proficiunt plantae, et de locis, quae opponuntur illis.***

p. 33 *l.* 21. ***Montes.*** — Est nominativus absolutus apud Arabes frequentissimus. Hic, ubi antecesserat *in lo-*

cis calidis, vertendus fuisset: *in montibus* [sc. provenit decoctio].

p. 33 *l.* 25. *Similes ad invicem*, — similes iis aliarum terrarum, ex quibus in eremos casu quodam venerunt.

p. 34 *l.* 1. *Planta autem, quae super superficiem aquae nascitur.* — Plantae variae confervoideae, et inprimis ni fallor Zygnemata.

p. 34 *l.* 6. *Expansus est super faciem aquae.* — Eum Zygnematum statum auctor indicare videtur, quo Linnaei conferva bullosa est.

p. 34 *l.* 12. *Ad similitudinem filorum.* — Lectionem vulgarem *foliorum*, quam et codd. mss. et interpp. et Alb. tenent, aegre mutavi. Verum aut de lemna aut de zyguemate sermo est. In hoc, omnia congruunt praeter unicum verbum *foliorum*, quod ex *filorum* tam facile fieri poterat. In illam nihil fere congruit, nisi locus natalis. Haec enim non in aquae superficie, sed in profundis putrescere solet; radicibus gaudet evidentissimis, quamvis terram non attingentibus; thallus ejus foliis adeo similis est, ut homo Graecus, quin vera folia essent, non dubitasset. Accedit dictio, nisi sibi ipa repugnans, certe tamen inconveniens, plantam foliis carentem ad foliorum similitudinem nasci; nec non hujus plantae comparatio cum *viriditate* illa, eaque haud dubie confervoidea, cujus paulo infra fit mentio.

p. 34 *l.* 19. *Quod erit in locis vehementer.* — Iterum hic habes nominativum Arabum absolutum. Fungi et tuberes non nascuntur in locis vehementer calidis, quae fere semper simul et sicca sunt. Ad antecedentia igitur haec verba spectare nequeunt. Sed ab alio terrorum locorumve genere ad aliud transiens, plantas ibi provenientes brevi indicat.

p. 35 *l.* 3. *Nenufar.* — نينوفر, est Nymphaea seu Nuphar recentiorum.

p. 35 *l.* 5. *Non expansae;* — non ita ut fila zygnematis horizontalia.

p. 35 *l.* 5. ***In locis quoque, in quibus aqua calida currit, multotiens planta nascitur.*** — Plures oscillatoriae species aquis calidis proprias esse, notum est; quaenam vero in Syria, ignoratur.

p. 35 *l.* 10. ***Herbae quoque minutae*** etc. — Varias plantas, solo sulphureo languescentes, nec singulam quandam speciem auctor in animo habuisse videtur; quod et ultima capituli verba probant, et naturae convenit.

p. 35 *l.* 19. ***Cap. VII.*** — Alb. lib. IV tract. II cap. 4: *de proprietatibus plantarum ex natura locorum convenientium.*

p. 35 *l.* 20. ***Lenibus altis,*** — modice altis.

p. 35 *l.* 21. ***Prope cibum.*** — Plura sunt verba Arabica significantia *prope fuit*, indeque modo *appropinquavit*, modo *non attigit*, *non praestitit*, e. s. p. Itaque vertendum fuisse suspicor: *et quod eo, ut cibus fiat, non pervenit* etc.

p. 35 *l.* 22. ***Multiplicantur species.*** — Pendeo animo, utrum auctor locis frigidis altis plures plantarum species, sensu vulgari, an plures plantas medicatas, quas et *species* dicere solebant, tribuerit. Priori opinioni, quam etiam Albertus amplexus est, statim sequentia favere videntur; posteriori, quae paulo infra leguntur: *planta, quae provenit in montibus altis, si fuerit species, erit promptior et aptior medicinae.*

p. 36 *l.* 1. ***Comprehensio ejus est,*** — i. e. deprehenditur, invenitur.

p. 36 *l.* 9. ***Fere non ascendit.*** — Plantarum saxatilium plerasque procumbere, et in solum fertiliorem transpositas haud raro ascendere, botanicorum nemo nescit.

p. 36 *l.* 12. ***Prope solem.*** — Arabicum شرق et *orientem* solem, et *solem* in universo significat. Quo factum esse puto, interpretem pro *ad orientem* dixisse *prope solem.*

p. 36 *l.* 23. ***Species.*** — Plantas *medicatas* esse, supra annotavi. Sic adhuc hodie pharmacopolae plantas concisas, quibus infusa aqua pectori medetur, *species pectora-*

les dicunt, mediique aevi medici hoc verbo centies usi sunt. Sed lex 16 §. 7 D.D. publ. et vectig. (lib. XXXIX tit. 4), quam Dufresne, glossar. med. et inf. latin. voce species, tanquam primum talis usus exemplum affert, huc non pertinere videtur. Merces enumerat dum importarentur, vectigalibus obstrictas, plerasque Indicas, ad rem medicam facientes, quas inter tamen et servi et bestiae aliaeque res non medicatae reperiuntur, quae cunctae uno verbo *species* vocantur. Nihilo minus lex ipsa in eamque G. Panciroli adnotationes (thesaur. varr. lectt. utriusque juris pag. 281 sqq.) ab iis, qui botanicarum rerum historiae student, non diutius negligi merentur.

p. 36 *l.* 27. ***Sol producit longitudinem diei in remotione sua.*** — Contradictio in adjecto esse videtur, quia solis recessus *dierum* longitudinem *corripit*, *noctes*que *producit.* Hic autem *producere* pro efficere, constituere, *longitudinem* pro definito temporis spatio sive longiori sive breviori, dicta esse apparet.

p. 36 *l.* 29. ***Planta, quae nascitur in locis aquosis;*** et postea: ***planta stagnorum.*** — Hanc potius, quam filamentosam illam plantam aquaticam, de qua cap. 6, pro *Lemna* nostra haberem, nisi plura plantarum genera a Nicolao eodem titulo comprehensa esse putarem.

p. 37 *l.* 9. ***Viriditas.*** — Confervoideum illum, ut dicere solent, muscorum aliarumque plantarum inferiorum protothallum intelligo, quem, cum genuinis confervis saepe confusum, ii maximi faciunt, qui vel generationi aequivocae, vel alterius speciei in alteram transformationi student.

p. 37 *l.* 10. ***Cumque ceciderit sol,*** — cum radii solis in locum inciderint.

p. 37 *l.* 17. ***Nec ascendit nec distenditur.*** — Neque, ut plantae terrestres pleraeque, erigitur, neque, ut planta illa aquarum filamentosa, de qua cap. 6, prosternitur.

p. 37 *l.* 18. ***Saepe etiam planta ex alia planta nascitur*** etc. — Theophr. de caus. plant. lib. II cap. 17 plurium meminit plantarum parasiticarum, quas inter etiam *τὸ Συριακὸν βοτάνιον, ὃ καλούμενος κασσύτας* [sic pro vulgari *καδύτας* lego cum Salmasio, exercit. pag.

682 column. 6], quod καὶ δένδροις καὶ ἀκάνθαις ἐμφύεται, *herbula illa Syriaca, cassytas dicta, arboribus vepribus aliisque innascens.* De eadem paulo aliter Plinius lib. XVI cap. 44 sect. 92: *est et in Syria herba, quae vocatur cassythas* [male ex Theophr. recepisse cadytas, contendit Salmas. l. c.], *non tantum arboribus, sed ipsis etiam spinis circumvolvens sese.* Et Avicenna tom. I pag. 192: كشوث ۞ الماهية ۞ شي يليف علي السوك والشجر يشبه الليف المكي لا ورق له وله زهر صغار بيض ۞ i. e. *Kuschut. Natura. Est aliquid irretiens spinas arboresque, simile reti Meccano. Foliis caret, floresque ejus sunt parvi albi.* Eandem denique esse hanc nostram, quam, utpote Syriacam, Nicolaus Syrus prae reliquis Theophrasti plantis parasiticis describendam sibi elegerit, ipsius plantae nomen *cuscute* in fine capitis occurrens confirmat. Quae vero sit planta, florae Syriacae auctores futuri videant. Ante omnes in mentem venit *cuscuta monogyna*, quam Sibthorpius, nisi in Syria, inter Smyrnam tamen et Bursam reperit. Sed haec parum differt a *cuscuta epithymo*, quam Theophrasti *orobanchen* esse ferunt, a qua tamen hic *cassytham* suam probe distinguit. Neque ullam unquam cuscutae speciem arbores scandere comperi. Inter reliquas plantas parasiticas ab illis terris non nimis remotas nullam novi *volubilem.* At quum neque Theophrastus neque Avicenna cassytham sese circumvolvere dixerint, ne Plinius paulo somniaverit, vereor. Quod si esset, et Theophrasti et Avicennae verba optime quadrarent in *usneam floridam*, cujus apothecia peltaeformia ab Arabe flores dici non mirarer. Tam in vepribus quam in arboribus vetustis crescit, filamentosa, foliis destituta, apotheciis tamen florem mentientibus praedita. Hanc optimo jure Theophrastus *βοτάνιον, herbulam,* Avicenna شي, *aliquid,* dicere poterant. Quod vagum loquendi genus opinioni nostrae maxime suffragatur; quippe quo Avicenna rarissime usus est, nec nisi in describendis vel minus cognitarum plantarum partibus e longinquo advectis, vel inferiorum ordinum plantis, quas herbas

dicere cavebat. Quales sunt, praeter كشوث nostrum, nonnisi quinque sequentes: بنك, *bunk*, quod quidam partem aliquam ex spinae Arabicae radice esse ferebant; جفت افريد, *ğeft aferid*, de quo supra dixi lib. I cap. 14 ad vocem cafta; درو قطاريس [secundum Plemp.; edit Roman. legit مطاريس], *darv gathârîs*, filicula quaedam parasitica arborum, fortasse acrostichum dichotomum Forsk.; ورس, *vars*, pulvis croceus, quam e planta quadam parari ferebant; كوز كندم [sic Plemp. et Abu-Mansur edit. Seligmann II pag. 79; كوز edit. Roman.], *kauz kendem*, res levis quaedam velut muscus [Plempio interprete; ergo in edit. Romana pro كلا شنه legendum est كلاشنه uno verbo. Cf. Abu-Mans. l. c. et I pag. 55, ubi idem graminis species dicitur. Qua vero ratione cl. Seligmann garciniam mangostanam L. huc referat, me fugit]. Quibus proverbium ex cl. Freytagii lexico addam: فلان كشوث الشجر, *quidam kuschût arboris*, i. e. homo perquam vilis. Unde *kuschût* plantam et frequentissimam et aspectu miserrimam esse colligo. Non quidem ignoro, usneae ipsius nomen esse Arabicum اشنة, *uschna*, quod vulgo *muscus arboreus* vertitur; sed Avicenna *crustas subtiles tenuesque*, قسور دقيقة لطيفة, esse jubet, quales parmeliae nostrae, nec usneae offerunt.

p. 37 *l.* 24. ***Hoc proprium est plantae multum spinosae, ut cuscute et similia.*** — Cum totus Nicolai contextus, tum et Plinii et Avicennae verba supra laudata ostendunt, cuscutam seu cassytham ipsam minime esse spinosam, sed innasci spinis. Hinc vertendum fuisse hariolor: *proprium plantae multarum spinarum*, seu variis spinarum generibus innascenti.

p. 37 *l.* 26. ***Cap. VIII.*** — Albert. lib. IV tract. III: *in quo agitur collective de principiis generationis et fecundationis plantarum.* Cap. 1. *de quinque, quae*

collective sunt principium generationis et incrementi plantarum; et de dubitationibus circa eadem mergentibus. Nos quae Albertus in hac divisione, ab ipso, ut videtur, depravata, reprehenderit, transeamus. Sed cf. lect. var.

p. 38 *l.* 4. ***Cap. IX.*** — Albert. lib. IV tract. III cap. 2: *de diversitate fecunditatis in generatione plantarum.*

p. 38 *l.* 6. ***Est quoque planta, quae ... ut barba Jovis.*** — Haec verba uncis inclusa huc non pertinere, clarum est. Non tamen spuria esse puto, sed ex capitis septimi fine elapsa, hic praepostere collocata. Ibi enim satis apta videntur, hic ne pro glossa quidem haberi possunt. ***Barbae Jovis*** nomine alii alias celebrarunt plantas: Plinius (lib. XVI cap. 18 sect. 31) *anthyllin barbam Jovis*, Dioscorides (lib. IV cap. 55) *chrysocomam linosyrin;* Albertus Magnus (de plant. lib. VI cap. 3) *sempervivam tectorum*; Simon Januensis (clav. sanation. vóce Barba Jovis) *lavandulam stoechadem;* quarum nulla huc pertinet. Sed plantam esse oportet fruticosam, foliis aut fugacibus, aut adeo parvis, ut fere visum effugiant; fructu denique, vel fortasse semine exiguo. Ejusmodi planta est *tamarix Gallica* seu Theophrasti μυρίκη, quam et ipse Nicolaus Syrus, et ejus interpres Arabs haud incongrue Graecam seu Ionicam vocare poterant, ut distingueretur a *tamarice articulata Vahl.*, Arabiae incola, eaque arborescente. Ideoque ex طرفاء يوناني, *tharfa jonani*, tamarice Graeca, *barbam Jovis* originem duxisse suspicor.

p. 39 *l.* 1. ***Antiqui sapientes*** etc. — Quiqui sint, prima libens agnosco stamina doctrinae de partium plantarum metamorphosi. Fructus enim cujuscunque plantae finis est, cui quot quaeque folia praemiserit, tot quasi fructificandi pericula fecit, succorum cruditate frustrata. Valde tamen suspicor, antiquorum illorum sapientum principem esse Empedoclem, cujus dictum quodammodo huc spectans paulo infra afferam.

p. 39 *l.* 5. ***Nec habent folia aliquam intentionem, nisi attractum humoris.*** — Soli tan-

tam attrahendi humoris vehementiam tribuebant, ut hic adhuc crudus exiret ex caule, foliorumque sub specie exterius appareret. Ideo cave, ne credas, folia attrahere humorem ex aëre circundante. Quae clariora fierent, dum aut pro *intentione causam*, aut pro *attractione* (per solem) *extractionem* (ex caule) ponere liceret.

p. 39 *l.* 6. *Ut sint cooperimentum fructuum a vehementia solis.* — Folia putabant ea de causa non fieri veros fructus, quia sol humorem eorum tam festinanter ad se raperet, ut hujus concoctio in ipsis maturitatem attingere non valeret. Quod maturationis impedimentum ne omnem fructum faceret irritum, foliis id quoque tribuebant officium, ut a vehementia solis fructum defenderent.

p. 39 *l.* 8. *Oportuit, similiter ut folia essent fructus.* — Scribendum existimo *ut similiter*, pro *ut pariter.*

p. 39 *l.* 9. *Et alterata sunt folia,* — in veros fructus mutata sunt. Dictum haud absimile Empedoclis servavit personatus Plutarchus in philos. placit. lib. V cap. 26 (seu Galen. histor. philos. cap. 38): *τοὺς καρποὺς περιττώματα εἶναι τοῦ ἐν τοῖς φυτοῖς ὕδατος καὶ πυρός· fructus aquae ignisque in plantis recrementa esse.*

p. 39 *l.* 10. *Judicium in oleis. Sed oleae* etc. — Scribe, dum placet: *in oleis, quae saepe privantur fructu. Namque natura* e. s. p.; omniaque quo minus Arabice, eo magis Latine dicta videbuntur. Quae tamen verbis deest concinnitas, ea hic saltem minime desideratur in rebus. Simile quid de vitibus nimium luxuriantibus retulit jam Arist. de gener. anim. lib. I cap. 18 versus finem. Quod tamen Nicolaus hic non in mente habuisse videtur.

p. 39 *l.* 16. *Cap. X.* — Albert. lib. IV tract. III cap. 3: *de modo fecunditatis et generationis spinarum in plantis.*

p. 39 *l.* 26. *Cap. XI.* — Albert. lib. IV tract. III cap. 4: *de coloribus communissimis plantarum.*

p. 39 *l.* 26. *Debet esse.* — Sed Alfredus حقّ vertisse videtur, quod hoc loco vertendum esset: *profecto est, procul dubio est.*

p. 40 *l.* 2. ***Materia utuntur propinquiori.*** — Nutrimento utuntur, priusquam radicibus hauriatur, jam concocto. Arist. de part. anim. lib. II cap. 3: τὰ μὲν γὰρ φυτὰ λαμβάνει τὴν τροφὴν κατειργασμένην ἐκ τῆς γῆς· *plantae enimvero nutrimentum concoctum radicibus ex terra capiunt.*

p. 40 *l.* 3. ***Oportet ergo*** etc. — Cur oporteat, nullus video; jamque Albertus de eorum obscuritate questus est, quae auctor noster de coloribus plantarum tradidisset. Longe clarior Theophrastus de colorib. §. 24 (cap. edit. Bekkeri cum Arist.), qui viridem plantarum colorem ab aqua pluviali repetit, quae cadens alba, mox virescat, tum vero quaecunque immersa nigro tingat. Quas mutationes quasi concoctiones esse statuit. Num ergo Nicolaus *propinquiorem materiam, qua plantae uterentur,* pro aqua pluvia jam virescente habuit?

p. 40 *l.* 8. ***Inter casuram.*** — Corticem esse, perspicuum jamque ab Alberto adnotatum est. Arabice autem cortex قشور, *qaschûr* vocatur, quod Alfredus haud dubie pro temporis more scripsit *casura.* Hinc igitur Alberti *rasura,* codicumque mss. *rosa.*

p. 40 *l.* 9. ***Nec est nisi humor in illa.*** — Virentis plantae materia est terra, per se nigricans; huic humor, per se albens, supervenit: ergo fit color medius viridis.

p. 40 *l.* 14. ***Cap. XII.*** — Albert. lib. IV tract. III cap. 5: *de modo incrementi plantarum, et de modo digestionis earum.*

p. 40 *l.* 15. ***Quaedam deorsum.*** — Plantas puto radice instructas praegrandi, bulbosa, napiformi e. s. p.

p. 40 *l.* 19. ***Sicut pyramidatur ignis in suis materiis.*** — In corporibus, in quibus inter cetera elementa *ignis* praecellit efficacia.

p. 41 *l.* 2. ***Desub planta.*** — Albertus hanc digestionem in ipsa radice, alteram (quae exit a terra, ut cum Nicolao loquar) in medulla fieri statuit. Veruntamen secundum Arist. de partib. anim. lib. II cap. 3 digestio ea, quae in animalibus dicitur prima, et quae fit in ventriculo, apud

plantas in ipsa terra sub radice perficitur. Neque Nicolaus dissentire videtur.

p. 41 *l.* 4. ***Maturae.*** — Inter duas lectiones eam, quae melior visa est, selegi; maluissem tamen utramque: *materiae maturae.*

p. 41 *l.* 7. ***Adinvicem.*** — Correxissem *abinvicem*, nisi illud hujus loco saepius apud medii aevi auctores legisse meminissem.

p. 41 *l.* 8. ***Multiplicantur in multis locis.*** — Gemmis per totam plantam sparsis.

p. 41 *l.* 9. ***Figurae vero plantarum erunt in quantitate seminum.*** — Absurde dictum; non tamen, ut opinor a Nicolao, sed ab Alfredo. Etenim قدر, quod hunc pro *quantitate* habuisse puto, primum significat rationem modumque rerum a creatore praedestinatum, vel, si mavis, *indolem;* tum etiam *quantitatem.* Itaque verterim *secundum innatam seminum naturam.* Tunc etiam sequentia intelliguntur, absque illa emendatione obscurissima.

p. 41 *l.* 10. ***Flos vero plantae et fructus sunt in aquis et materiis.*** — Fiunt ex substantia plantarum terrena et ex aqua nutritia. Quapropter non, ut totius plantae figura, jam in semine quasi praedestinata atque definita sunt; sed pro varia et soli et aquarum ratione variant ipsi. Idem de fructuum saporibus et Arist. de sens. et sensat. cap. 4 et Empedocles apud Plutarch. de placit. philos. lib. V cap. 26 (seu Galen. hist. philos. cap. 38) docuerunt. Quibus Kazvinium addere liceat, qui in de Sacy chrest. pag. 524 haec mirabundus exclamat: واعجب ما فيها ما ذكره الله تعالي نسقي بماء واحد ونفضل بعضها علي بعض في الاكل ۞ i. e. ***Quod autem maxime mirabile circa eas*** [plantas], ***id est, quod ipse deus, cui laus sit, nobis exposuit: „rigavimus una aqua, fructusque distinximus alterum ab altero“*** [Korani verba].

p. 41 *l.* 13. ***In plantis est prima digestio et maturatio secundum nutrimentum.*** — Praepositio علي, quam hic fuisse opinor, vertenda fuisset ***apud.***

Sensus enim est, plantarum primam digestionem et maturationem fieri in ipso nutrimento, priusquam a radicibus suscipiatur.

p. 41 *l.* 17. ***Radix ejus, aqua et ignis.*** — ***Radicem*** hic pro elemento dictam esse, clarum est. At quam flexiles rerum causae sint elementa, hic videsis. Etiamsi quaecunque complexionata, ut technico scholasticorum philosophorum termino utar, ex omnibus elementis composita putabantur, plantas tamen, quia graves et rigidae, potissimum *terreas* dicere solebant; hic tamen eaedem, quatenus ascendant, dicuntur *aqueae* et *igneae*. Nec impedit, quod animalia, quae multo minus in longum crescunt, plantis et succosiora et calidiora sunt.

p. 41 *l.* 22. ***Cap. XIII.*** — Albert. lib. IV. tract. III cap. 6: *de diversitate casus foliorum, et diversitate, qua quaedam pluries in anno fructificant, et quaedam non.*

p. 41 *l.* 23. ***Propter fluxibilitatem velocis raritatis.*** — Longe alias foliorum fluxus causas statuunt et Aristoteles, de gener. anim. lib. V cap. 3, et Theophrastus, de caus. plant. lib. II cap. 19: ille humoris calidi inopiam, hic attactum definitae vitae terminum.

p. 42 *l.* 6. ***Glauca sunt folia*** etc. — Folia plantarum plurium semper virentium glaucescere, verum est; quum tamen jam prima juventute hunc induant colorem, frigore decolorari falsum est. Sed fortasse color *glaucus* hic non nisi *saturatius viridis* est. Myrtus enim folia nunquam glaucescunt.

p. 42 *l.* 8. ***Quam si non habuerint*** etc. — Ne mireris, arboribus *biferis* virtutem attrahendi minorem tribui. Sunt in primis citrus eique affines, provectiori aetate continue quidem, et lentissime crescentes, semper quidem, at plerumque parcius florentes atque fructificantes. Quis unquam citrum vidit tanta florum copia tectum, quanta vel malum vel cerasum?

p. 42 *l.* 11. ***Planta vero, quae est sicut natura aquae.*** — Plantae succulentae, quibus tamen Nicolaus herbaceas plerasque adnumerat.

p. 42 *l.* 17. ***Cap. XIV.*** — Albert. lib. IV tract. IV, *in quo tractatur de accidentibus plantae quoad visum et gustum.* Cap. I: *de coloribus plantae.*

p. 42 *l.* 17. ***Venetalitas.*** — Colorem esse inter albedinem et nigredinem medium, ipse auctor paulo infra profitetur. Ejusmodi est *color Venetus.* Cf. tamen var. lect.

p. 43 *l.* 1. ***Ulna.*** — Rem quandam albissimam esse, clarum est, quaenam sit obscurissimum. Alberti lectio *ulmum* affatim placeret, quandoquidem aut Nicolaus auctor Europaeus, aut ulmus arbor Syriaca esset. Est quidem arbor quaedam Syriaca دردار , *dirdâr*, quam *ulmum* vertere solent. Syriacam dico, quoniam in Avicennae edit. Romana tom. I pag. 159 lego: قال ديسقوريدوس هذه شجرة مثل شجرة الخلاف ويسميه اهل الشام الدردار واهل العراق يسمونه شجرة البوق ۞ i. e. *Dioscorides ait, similem esse arbori* ʿ*hilâf* [*salici* vertit Plempius; ideo legit خلاف, *chilâf*]; *Syrorum gentem vocare eam dirdâr, Iracensium* [*Chaldaeorum* Plemp.] *vero gentem culicum arborem.* Quae verba, quum et in Plempii codicibus et in antiqua versione desiderentur, neque apud ipsum Dioscoridem reperiantur, haud dubie spuria, nihilominus patriam arboris Syriam esse probant. Attamen *ulmum* spectare nequeunt, quoniam *folia arboris recentia oleris more comedi* dicuntur. Accedit, quod optimi codices mss. nec cum Alberto *ulmum*, nec cum G. I *ulnam* legunt, sed *ulna;* unde vocem Arabicam esse colligo, forsitan النهاء, *alnihâ*, quod et lapidem album quendam marmore molliorem (an alabastrum?), et concharum speciem, et plantam desertorum medicatam (an propter albedinem sic dictam?) significat; vel النوى, *alnava*, dactylorum nucleus.

p. 43 *l.* 9. ***Quod vero in planta*** etc. — Qui vero flos in planta etc.

p. 43 *l.* 12. ***Glaucum.*** — Quis color hoc loco sit nescio. Vere glaucus in floribus rarissime occurrit. Sed intercapedinem suspicor. Desidero enim colores florum luteum, rubrum, violaceum, adeo frequentes, ut vix negligi potuerint.

p. 43 *l.* 16. ***Cap. XV.*** — Albert. lib. IV tract. IV cap. 2: *de coloribus et accidentiis aliis succorum in plantis.*

p. 43 *l.* 25. ***Quia usus est caloris, ut coagulet lac.*** — Quae ne praecedentibus repugnare videantur, supple: *et quia plantae ipsius calor ad ejus coagulationem perficiendam non sufficit.*

p. 43 *l.* 26. ***Quodlibet lac multae est coagulationis, cum fuerit in arbore frigus apparens.*** — Frigore interno non coagulatur, sed expellitur, et tunc demum extra arborem, solis calore superveniente, coagulatur. Sic etiam Albertus locum paulo obscuriorem interpretatus est.

p. 44 *l.* 5. ***Similes lapidibus vel conchis.*** — Dubitasse videtur Alfredus de verbo, quod coram habebat, lapidemne an concham significet.

p. 44 *l.* 7. ***Ut arbor.*** — Rectius, *ut gummi arboris.*

p. 44 *l.* 7. ***Aletafur.*** — Vox Arabica العصفور, *el-ôçfûr*, numeroque plurali العصافير, *el-eçâfîr*, proprie passerem significat, tum etiam arborem, quae secundum Kamus ab Arabibus etiam verbis من رأي مثلي, *quis mihi comparem vidit!* appellatur. Qua de arbore praeterea sub horum nominum neutro quicquam reperi. Sed in (Angeli a St. Josepho) Pharmacopoea Persica pag. 361 sqq. de arbore lego in Perside frequentissima, spectatissima, lactescente, quam incolae *c-harg* sive *prodigium* vocarent, *quasi vellent* eam esse mirabilis et incognitae virtutis. Descriptio amplior *Calotropin proceram Rob. Brownii* esse ostendit, arborem ex plantarum asclepiadearum ordine et lactescentem et melliferam, cujus mel, ab Arabibus عشر, *ôschar*, nomine celebratum, jam etiam veteribus notum fuisse suadet Sprengelius ad Dioscor. lib. II cap. 104. Nonne hanc arborem et Kamusi عصافير, *eçâfîr*, et nostri libelli aletafur esse credere liceret?

p. 44 *l.* 13. ***In barbis.*** — Arabice fuisse opinor في برباس, *in birbâs* i. e. proprie *in puteis*, hic igitur in conceptaculis succorum inferioribus.

p. 44 *l.* 20. *Cap. XVI.* — Albert. lib. IV tract. IV cap. 3: *de alteratione plantarum secundum fructus.* — Maximam hujus capitis partem me non intelligere fateor, valdeque suspicor, interpretem diversas saporum species partim eodem nomine confudisse, partim aliam pro alia posuisse. Sapor amarus e. g. semper ex summo calore nasci, summaeque caliditatis signum esse existimabatur; quibuscum et ipse Nicolaus cum medio hoc capite tum sequentis ad finem consentit. Sed idem plane contrarium hujus capitis initio docet, nisi hic, ut opinor, *amaro* substituendum est *acerbum.* Paulo post *aqua acetosa* pro *salsa* dicta videtur, tametsi pro *fructibus acetosis salsi* dici nequeant. Mitto alias difficultates, quibus cunctis penitus removendis inferior, nihil movere ratius duxi.

p. 45 *l.* 17. ***Ponticitas.*** — Saporem *ponticum* apud medii aevi scriptores esse *austerum*, vulgo notum est.

p. 45 *l.* 26. *Cap. XVII.* — Albert. lib. IV tract. IV cap. 4: *de saporibus myrobalanorum, qui non sequuntur alterationibus aliorum fructuum.*

p. 45 *l.* 26. ***Myrobalanorum vero fructus.*** — Quo jure ex hac myrobalanorum mentione sequi contenderunt, opusculi nostri auctorem Aristotele longe inferiorem esse; eodem, Nicolai aetate jam determinata, sequi mihi videtur, myrobalanorum nomen aliorum fructuum quasi personam esse. Illos enim ab Indis ad Arabes, ab his denique ad infimae aetatis Graecos pervenisse, Nicolaique temporibus extra Indiam plane ignotos fuisse compertum habemus. Sunt autem myrobalani, ut omnes uno ore affirmant, *aciduli*, nec unquam *amari.* Nequeunt igitur esse ii, quorum insolitas saporum mutationes auctor noster, quisquis sit, et quoquo tempore vixerit, narravit. Qui vero sint, forte fortuna detexisse mihi videor. Primum quaerendum esse arbitrabar, num essent *glandes* sic dictae *unguentariae* seu *Hyperantherae moringae* semina, quae Graecos veteres *βαλάνους,* recentiores inde a Galeno *μυροβαλάνους* vocasse notum est, donec hoc idem nomen a recentissimis Graecis, a Jo. Actuario et Nicol. Myrepso ad eos denique fructus transferebatur, quos adhuc hodie eodem appellamus, quosque Arabes بان, *bân,* appel-

lant. Cujus causa Dietzii ex Ibn Baithare excerpta revolvens, forte incido in caput de بلان, *balân*, in ejusdem Analect. medic. pag. 102 sic descriptum: *Planta lanuginosa, foliis cicerculae, stypticis, flore purpureo, fructu flavo et rubro, amaro, seminibus minutis, stypticis referto. Haemorrhoidi confert. E ramis Hierosolymis scopae fiunt. Vulgaris etiam prope Barcen. Arabes eam vocant* شرف [*scherf*]. Quam plantam quis non videt eandem esse, quam Dioscorides lib. IV cap. 73 *στρύχνον ὑπνωτικὸν*, *strychnum somniferum* dicat, quamque nostram *Physalida somniferam* esse plerique consentiant? Flores magni rubri botanicos quosdam vexaverunt, qui non viderunt, calices physalidum revera et maximos et ruberrimos a Dioscoride flores dici. Unica fere apud utrumque auctorem differentia est, quod Dioscorides folia *cydoniae*, Ibn-Baithar, si Dietzio fidem facias, *cicerculae* similia dicat. Non tamen diffitear, Dietzium minime ipsius Ibn-Baitharis codicem Arabicum Scorialensem, sed tantum Hispanicam ejus versionem ibidem servatam excerpsisse, ut ipse in fine schedarum manuscriptarum ingenue fassus est. Pro *cicercula* autem iisdem schedis non nisi nomen Hispanicum *garbango* (garbanzo) reperio, quod ideo minime certum. Jam vero botanicorum quisque novit, physalidum calices, baccam maturam omnino includentes, intus pulverem excernere resinosum amarissimum, cujus contactu, nisi summa cautione utaris, ipsae etiam baccae inficiantur. Porro plantam esse hanc speciem lignosas inter et herbaceas ambigentem, cui meatus solitis ampliores aliqua veri specie tribui possent. Adde nominis Latini cum Arabico similitudinem, nec dubitaveris, ut spero, Nicolaum scripsisse *στρύχνους ὑπνωτικοὺς*, Isaacum Ben-Honain recte vertisse بلان, *balàn*, Alfredum denique, vel post hunc aliquem librarium ex nomine minus sueto *balano*, quod facile cum Graecorum *βαλάνῳ* confundi poterat, perperam fecisse *myrobalanum*. Hoc igitur minime obstat, quin de opusculi jam ad finem perducti auctore, eum Nicolaum Damascenum esse mecum convenias.

INDEX AUCTORUM
A NICOLAO LAUDATORUM.

ADDITAMENTUM

IN FUGAM VACUI NICOLAIQUE COMMENDATIONEM.

Generaliora de plantarum natura reliquerunt, omissis iis, quorum opera perierunt,

Theophrastus Eresius	circiter **250** a. C. n.
Nicolaus Damascenus	circa Christum nat.
Arabes nonnulli, quorum opera mss. in bibliothecis adhuc latent .	circiter **800 — 1200** p. C. n.
Albertus Magnus	circiter **1250** „ „ „
Jo. Costaeus	**1578** „ „ „
Andr. Caesalpinus	**1583** „ „ „

Reliqui auctores botanici ad haec usque tempora plantas singulas materiae medicae causa tractarunt. Quo factum est, ut botanica diu pro medicinae parte haberetur.

INDEX
RERUM ATQUE VERBORUM.

Typis J. B. Hirschfeldi.

CORRIGENDA.

In praefatione.

pag. IX lin. 15 a sup. *pro* Arabice *lege* Arabicae
— X — 1 ab inf. ,, 1224 ,, 1244

In Textu et Lect. Var.

pag. 5 lin. 6 *pro* At *lege* Ad
— 6 — 18 ,, intelligectum *lege* intellectum
— 17 not. 11 ,, quaedam *lege* quedam.
— 18 lin. 4 ,, et olivae ,, ut olivae
— 20 — 10 ,, canne *lege* cannae
— — not. 19 ,, nascantur *lege* nascuntur
— 24 — 13 ,, vocator *lege* vocatur
— 28 — 15 ,, editionem *lege* editionum
— 37 — 26 ,, plantae *lege* plante
— 38 — 12 ,, G. II omis. omn. *lege* G. I omis. omn.

In Adnotationibus.

pag. 48 lin. 12 a sup. *pro* (numero) 6 *lege* (literam) b
— 49 — 17 ,, ,, ,, *τοῦ lege νοῦ*
— — — 3 ab inf. ,, est anim. *lege* est ab anim.
— 52 — 3 a sup. *post* Aristoteles *dele virgulam.*
— 53 — 4 ab inf. *pro αἰσθήσεος lege αἰσθήσεως*
— 54 — 18 ,, ,, ,, *ζῶοις lege ζώοις*
— 55 — 10 a sup. ,, *ζῶου* ,, *ζώου*
— — — 11 ,, ,, ,, *ἀλλα* ,, *ἀλλὰ*
— 58 — 7 ,, ,, ,, legin ,, leqin
— — — 8 ,, ,, ,, legna ,, leqna
— — — 9 ,, ,, ,, legina ,, leqina
— 60 — 3 ,, ,, ,, *γάρ* ,, *γὰρ*
— 64 — 5 ,, ,, ,, mad ,, mád
— — — 7 ,, ,, ,, maadd ,, maádda
— 66 — 1 ,, ,, ,, *γαρ* ,, *γὰρ*
— — — 6 ab inf. ,, vitia ,, vitiata
— 72 — 13 ,, ,, ,, *aequalia* et *ad lege aequalia et ad*
— — — 2 ,, ,, ,, وعو *lege* وهو
— 75 — 7 a sup. ,, ea *lege* eae

pag. 77 lin. 15 a sup. *pro* berberis *lege* *berberis*

— — — 6 ab inf. ,, poliurus ,, paliurus

— 79 — 3 a sup. ,, aut, a ,, aut a

— — — 11 ,, ,, ,, بغلة الملك *lege* بغلة الملك

— — — 12 ,, ,, ,, bagla ,, baqla

— — — 17 ,, ,, ,, مَلوخِيا *lege* مَلُوخِيا

— — — 18 ,, ,, ,, mâlukîa ,, malûkîa

— — — 22 ,, ,, ,, mulukijja ,, mulûkijja

— — — 26 ,, ,, ,, selg *lege* selq

— 80 — 8 ,, ,, ,, Heracliotica *lege* Heracleotica

— — — 13 ,, ,, ,, fufel *lege* fûfel

— 81 — 17 ,, ,, ,, *αὐτη* ,, *αὐτῇ*

— 82 — 9 ,, ,, ,, pluriis ,, pluviis

— 85 — 3 ab inf. ,, *ἑτερων* ,, *ἑτέρων*

— 87 — 7 a sup. ,, *σαρξι* ,, *σαρξὶ*

— 88 — 4 ab inf. ,, a *lege* ab

— 90 — 13 a sup. ,, neque in libro *lege* neque in libris de caus. plantar. agit, sed in libro

— — — 16 ab inf. ,, *ποῶδους* *lege* *ποώδους*

— 91 — 6 ,, ,, ,, كالبلسن *lege* كالبلسان

— 92 — 5 a sup. ,, *λως ὅτῶν* *lege* *ὅλως τῶν*

— — — 7 ,, ,, ,, *αὐτοῦ στελέχους* *lege* *αὐτοῦ τοῦ στελέχους*

— 96 — 17 ,, ,, ,, utroque *lege* utraque

— 100 — 3 ,, ,, ,, فوننج *lege* فوننج

— 109 — 12 ab inf. ,, ; *lege* ,

— 111 — 13 ,, ,, ,, habeo, *lege* habeo)

— 113 — 14 a sup. ,, *ἠθροίσμενος* *lege* *ἠθροισμένος*

— 117 — 11 ab inf. *post* locis *adde* calidis

— — — 7 ,, ,, *pro* terrorum *lege* terrarum

— 120 — 1 a sup. ,, column. 6 ,, column. b

— 121 — 6 ,, ,, ,, gathârîs *lege* qathârîs

— — — 12 ab inf. ,, قسور لغيغة *lege* قشور لغيغة

— 123 — 3 ,, ,, ,, Sed *lege* Sic

— 124 — 5 ,, ,, ,, *radicibus* *lege* (radicibus)

— — — 10 ,, ,, *post* cap. *adde* 5

— 125 — 20 ,, ,, ,, substantia *dele* ;